This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600054257T

(1) Ravennes, anon.

(2) Jacob.

# GALLIA

AB

# ANONYMO RAVENNATE DESCRIPTA.

E CODD. MSS. RECOGNOVIT

COMMENTARIISQUE ET TABULA ILLUSTRAVIT


## ALFRED JACOBS

SCHOLÆ CHARTARUM OLIM ALUMNUS, IN FACULTATE LITTERARUM
PARISIENSI DOCTOR



PARISIIS

FURNE EDITORE, VIA DICTA SAINT-ANDRÉ-DES-ARTS, 45

1858



237. a. 166.

BODLEIANA
BIBLIOTHECA

EXIMIIS PARENTIBUS

# DE GALLIA

## AB ANONYMO RAVENNATE DESCRIPTA.

Vetus quidam est ætatis incertæ nominisque ignoti cosmographus, qui ab urbe patria Ravennas dici solet. Opus ille adeo confusum rudi stylo conscripsit, ut, post multos annos quam fuit in lucem editum, perpauci inter geographos existerent qui utilitate ex eo redundatura labores ipsorum rependi posse censerent. Attamen, quum cosmographia ista quater mille et sexcenta fere nomina civitatum et fluviorum regionumque exhibeat, deinde vero cum tabula Peutingeriana arctissimo vinculo juncta sit, tanta copiarum ubertas admirationem efficere, intercedens autem cum celeberrimo veteris chartographiæ monumento cognatio curiositatem movere debebant. Sed nunc demum contingit ut eruditi quidam, validis armis instructi, auctorem nostrum occupent, manubiasque ex intricatissimo opere reportare conentur. Ego autem, licet doctrina haud

Vaticanum codicem, quem manu tractare mihi non licuit, non novi nisi ex Hudsono, qui in *Geographorum Græcorum minorum* volumine tertio variis scripturis ex eo collectis præmisit hæc : « Variæ lectiones in Anonymum Ravennatem e codice Urbinate Vaticanæ bibliothecæ signato n° 678, cui titulus : *In hoc corpore continetur cosmographia et Romanorum historia ;* quod postremum additur ob adjunctam Eutropii et Pauli Diaconi historiam. »

Quanta sit earum variarum lectionum utilitas in opere quod ex urbium fluminumque nominibus fere totum constat nemo non fatebitur. At ex ea ipsa lectionum inspectione manifestum est utrumque codicem e simillimo fonte decurrisse : lacunæ enim sunt eædem, eademque pleraque mendorum quæ a librariis procedunt. Forsitan etiam historicus ille appendix in utroque msso unus et idem reperiretur, si de postrema parte libri Vaticani accuratiora comperta haberemus. Haud magis constat de ætate codicis deque ratione ejus palæographica. De quibus omnibus fusius procul dubio exponent Parthey et Pinder, Itinerariorum editores eruditissimi, qui, novam Cosmographi editionem parantes, librum Vaticanum denuo excutiendum curarunt.

Tertium autem codicem, qui Lugduni Batavorum servatur, tractatu pernovimus, quum eum vir humanissimus idem et eruditissimus Jacobus Geel, bibliothecæ in hac urbe conservator, ad nos summa benevolentia mittere et longæ peregrinationis aleæ committere non dubitaverit. Mssm hunc codicem, Vossii sigillo etiam nunc signatum, Gronovius versavit manibus, de quo in præfatione quam Pomponii Melæ editioni præmisit ita habet: « Est exaratus manu satis conveniente et ad lectionem prout optari po-

test distinctam patula[1]. » Rem per nos ipsi comprobavimus; cæterum expectationi eum parum respondere comperimus. Nam septimo decimo demum sæculo, vel certe sub sexti decimi finem, exaratus est; nec fere quidquam in eo laudandum nisi quod facile legitur. Imo multa deprehendisse mihi videor indicia e quibus conjicere ausim eum e Parisiensi msso fuisse desumptum, ab indocto et prorsus rudi chirographo, ita ut, nobis ambos codices conferentibus, nihil fere in hoc notandum fuerit nisi amplissima errorum mendorumque copia; de quibus, si pauca evolvimus, facile judicabitur : sic, in primis statim paginis, pluribus sæpius locis reperimus verbum *exemplo* transcriptum pro *christo :* « adjuvante exemplo, » ignorante, ut opinor, homine, græcum illud symbolum χρο. Idem pluribus locis deerrat in legendis abbreviationibus verborum *præ, pro, per;* pro his verbis : *sanctus Basileius*, legit ac scribit : *scriptis Basileius;* pro his : *aquæ cursum*, transcribit *aquæ crucem; deinde* pro *David; Laniblichus* pro *Jamblichus; per se, in die*, pro *Persæ, Indiæ;* Belisarium denique usquam aut unquam fuisse plane nescire videtur, ut qui locum in quo illius viri mentio facta est his verbis notaverit : « *In qua Gaditana patria gens Wandalorum ab Elisario devicta* [2]. »

Ex his jam satis apparere arbitror haud multum auxilii ex hoc codice esse sperandum. Eum equidem minime illis mssis adscribendum puto qui, ante inventam typographiam, eruditionis ac studii causa exarari solebant; sed libentius crediderim unum ex eruditis Bataviæ viris, Vos-

1. Pomponii Melæ de Situ orbis, lib. III, Ravennatisque Anonym geographia ex Ms. Leidensi suppleta, curante Abrah. Gronovio. Lugdun. Batav., 1722, posterior præfatio, p. VIII.
2. Lib. I, c. 3.

sium videlicet sive quempiam alium, indocto alicui librario codicem describendum tradidisse edendi operis causa, deinde rem perficiendam omisisse. Ideo autem transcriptum e Parisiensi nostro suspicor, quod, in tanta mendorum multitudine quæ chirographi propria sunt, lacunas et errores et quasdam scribendi formas reperio utriusque mssi communes. Lacunæ quidem et nonnulli errores item in Vaticano reperiuntur, atque, exempli gratia, notaverim hunc locum : « Item juxta limbum... quietas bystæ dicitur [1], » qui ita legendus est : « quæ et Asbystæ dicitur », ut optime Porcheron et Gronovius editores intellexerunt, atque in Lugdunensi codice lector nescio quis in margine inscripsit.

Lugdunensis igitur codex e Parisiensi male transcriptus est; Vaticanus autem duobus illis propemodum consimilis esse videtur. Affines, suppares, atque, ut ita dicam, consanguineos hosce omnes codices fuisse apparet, quippe recentioris ævi atque ita multis erroribus perfusos, ut ad inextricabilem illam cosmographi nostri obscuritatem, ex prava mssorum ratione, novæ difficultates accedant.

Anonymum primus edidit P. Porcheron [2] ad Parisiensis mssi fidem quem unum compertum habuit. Quum nulla esset in codice msso operis divisio, divisit ipse editor satis commode, ut videtur, in quinque partes, quarum prima prologum, altera Europam complectitur; cæteræ Asiam, Africam et periplum Mediterranei maris. Sed non æque feliciter singulas partes in plura distribuit capita quorum descriptio mediocrem totius operis intelli-

1. Lib. III, c. 3.

2. Anonymi Ravennatis de geographia libri quinque. Ex mso codice bibliothecæ regiæ eruit et notis illustravit Placidus Porcheron. Parisiis, 1688.

gentiam arguere videtur. Alterum tamen est quoddam in quo gravius idem sit reprehendendus, quod transcribendo codici negligentem sese præbuit. Nempe ita mutilum atque omnibus locis truncatum corruptumque edidit, ut vix ipsum auctorem agnoscas, interversis quibusdam nominibus, adulteratis aliis, versibus etiam totis interdum omissis.

Inde Gronovius editionem illam cum Lugdunensi msso conferens, quum permulta illa loca editoris negligentia corrupta vel omissa, varias esse mssorum lectiones existimaret, editorem acerbius mulctavit, quod Lugdunensem codicem requirere parum studuisset, atque hunc ipsum codicem, longe correctiorem nostro judicans, æquo pluris fecit.

Idem igitur Gronovius Anonymum, paucis post annis, edidit eodem volumine quo Pomponium Melam; sed parum ab editione Porcheronis discessit, emendatis videlicet quibusdam ad Lugdunensis codicis fidem; nulla cæterum præfatione, nullis notis adjunctis.

Has solas etiam nunc habemus Cosmographi editiones, quem tamen haud indignum fuisse majore studio apparebit, si quis nobiscum variorum commentarios atque opuscula evolverit ad eum auctorem pertinentia.

Ac primum quidem Porchero in editionis præfatione, quanquam confusum et plane barbarum opus esse fatetur, optime tamen intelligit permulta inde colligi posse, unde antiqua illa documenta suppleantur, quorum ope nos veterum temporum et ineuntis mediæ ætatis geographiam e tenebris excire conamur : his enim verbis utitur : « Magna quum sit Anonymo nostro cum Itinerario Antonini concordia, major etiam cum Peutingeri tabula, fre-

quens evenit ut urbs illa de qua siletur apud cæteros recenseatur media inter notissimas duas, et sic in ejus situ assignando vix possit errari. Beneficiis, ut ita dicam, per Theodosianam eamdem tabulam cumulatur Ravennas Anonymus qui Tabulæ vicem sæpius etiam rependit... Præter urbium nomina quæ Peutingeriana tabula sola prius exhibebat quæque apud Ravennatem Anonymum occurrunt infinita prope hic quoque videre est quorum nullus veterum meminit... [1] »

Nec male suæ præfationis promissa solvit editor : multa enim cosmographi nostri cum Ptolemæo vel cum Itinerariis et tabula Peutingeriana comparavit in notulis, et sagacissime interpretatus est. Atque tam multa occurrebant in unum convenientia, ut Anonymum evolventi jamprimum in animum veniret eum mappa aliqua usum esse Peutingerianæ nostræ consimili; cui quidem opinioni et Wesselingius in Itinerariorum præfatione, [2] et Mannert Tabulæ illius editor in operis introductione, [3] assenserunt. Cosmographum tamen auctorum nomina proferre videmus, quorum ex libris velut ex ipso fonte doctrinæ singula se collegisse profiteatur, delineatæ vero in hunc modum tabulæ nullam omnino mentionem facere. Cæterum auctores proferuntur haud minus quadraginta, nulla non e terrarum parte oriundi : Castorius, Lollianus, Arbitio, *philosophorum romanorum* nomine decorati; patres Ecclesiæ permulti; tum Athanaridus, Marcomirus, Eldebaldus, *philosophi gothi;* Afroditianus Persa; Cynchris et Blantasis Ægyptii; Provinus

1. Præfat., p. XVIII.

2. *Vetera Romanorum itineraria*, curante Petro Wesselingio. Amstelædami, 1735.

3. Tabul. itiner. Peuting. primum æri incisa et edita a Scheyb, 1753; denuo cum cod. Vindobon. collata, emendata et nova Conr. Mannertii præfatione instructa. Leips., 1824.

et Meletianus africani generis. Sunt et noti nonnulli, Jamblichus, Jordanis (intellige Jornandem), Isidorus Sevillensis et Ptolemæus, quem quidem cosmographus noster, ut sæpe accidit mediæ ætatis temporibus, eumdem esse credit ac Ptolemæum regem. Verum enim in longa illa nominum serie duo sunt quæ nostri fidem non mediocriter minuere valeant : philosophi scilicet nominantur Pentesileus et Marpesius, quorum auctoritate nititur in Colchide et Amazonum terra describenda; horum autem nominum alterum Virgilii versibus maxime innotuit :

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens. . . . . [1].

Adde quod Jornandes in Gothicæ historiæ initio [2] memorat Amazonas Marpesiam et Penthesileam quarum alteram belli trojani temporibus vixisse, alteram Asiam domuisse cautique cuidam suum nomen dedisse dicit. Ipsas porro feminas haud facile crediderimus Asiæ superioris et Caucaseæ regionis geographiam conscripsisse : quid jam restat, nisi ut cosmographum nostrum reum convictumque fateamur, in ipso propemodum facto deprehensum? Nihil enim manifestius apparet quam bellatrices illas ab eo masculis nominibus ornatas in numerum auctorum accessisse.

Ergone ita credendum erit vel priscis illis temporibus eam fuisse scriptoribus ambitionem ut fucum facere legentibus tentarent et doctrinæ famam his artibus consectarentur? Vel credere noluit Porchero, vel potius rem

1. Æneis, I, 490.
2. Jornandes in Cassiodori, edit. anni 1579, p. 458-459.

non sensit, neque philosophum illum Pentesileum Penthesileæ bellatricis congenerem suspicatus est; atque plorat bona fide, lugetque tot periisse antiquitatis monumenta, tot vigilias esse effusas, cum nihil supersit ex illa ingenti copia historicorum, cosmographorum, profanorum sacrorumque scriptorum, quos eodem nomine philosophorum Noster designare solet.

Minus facilem se præbet Wesselingius ut qui rem altius perspexerit : primus enim Anonymi fraudem subodoratus est ; vehementer itaque indignatur « hominem ad fraudem obtegendam geographos et scriptores nunquam fortasse natos esse commentum. » Nec minus Mannert nostri auctoris veracitati diffidit : « Multa, inquit, ex Orbe picto confuso suo operi inseruit geographus Ravennas, homo stultus vel fortasse mendax qui e scriptoribus sibi soli cognitis sua se desumpsisse glorietur, nominaque locorum lectori offerat inaudita, ut diffusæ suæ eruditionis præ se ferat testimonia. » Minus acerbe tamen fraudem incusat, sed dubitare aliquantisper videtur utrum mendacitas magis an inscitia fuerit obtrectanda : « Ni mendax, ait, stultus erat sane et insipidus qui ad manus quinti, sexti sæculi scriptores nunc deperditos habuisse constat ex quibus opem traxit quam minimam. »

Postquam personatos illos Pentesileum et Marpesium agnovit Wesselingius, nonnihil suspicionis ei moverunt etiam Hylas et Pyrithon philosophi, quorum alter in Anonymo Minorem Asiam, alter Thraciam descripsisse perhibetur; quos quidem satis verisimile est cum Hyla, Herculis amico, et Pirithoo, Thesei comite, commune aliquid habuisse.

Recentioribus denique temporibus, vir Italus quidam

Rossi qui dissertationem de Anonymo edidit[1] demonstravit Arbitionem et Lollianum, quos sæpissime auctores Noster cum Castorio quodam in testimonium vocat, eosdem esse ac consules anni P. C. 355. Nec non Provinus et Marcellus, quorum auctoritate nititur Illyricæ Dalmatiæque descriptio, Probinum ac Marcellinum anno 341 consules obtegere videntur. Rossi idem Ægyptio quoque philosopho Cynchri, qui juxta Blantasim quemdam apparet, cognationem intercedere censet cum Cencri rege duodevicesimæ dynastiæ.

His igitur compertis quæ satis per se gravia et manifesta videbantur, necesse erat ut totum opus severioribus judiciis exagitaret vir Italus; neque vero pepercit : sed plane profitetur Anonymum mendacem impudentemque videri qui, ut credulas legentium mentes perstringeret, ementitæ eruditionis apparatu suam ignorantiam instruxerit.

Nobis quidem minime in animo est monachum illum crimine jactantiæ purgare; stultitiæ tamen propiorem quam improbitati crediderim, nisi forte arbitrari aliquis malit inscitiam et fraudem una ejus in animo conspirasse. Quam opinionem nobis vir Germanus eruditissimus, Carolus Müller, *Geographorum minorum* novissimus editor, satis validis rationibus confirmari posse monstravit, apertis scilicet sagacissimis conjecturis quas in opusculo hactenus inedito proposuerat[2]. Ita quippe intelligebat nomina auctorum nonnulla ab Anonymo ex instrumentis esse desumpta quibus se usum esse non fatetur, e mappis scilicet geographicis antiquo tempore descriptis. Facile enim conjici

Sopra il cosmografo Ravennate e gli antichi geografi citati da lui osservazioni critiche; del cav. de Rossi memoria. Roma, 1852.

2. Vide *Itinéraires*. Encyclopédie Didot; supplément.

potest veteribus illis mappis, sive parietibus affixæ fuerint, sive membranis exaratæ, nomina fuisse inscripta consulum quorum auspicio elaboratæ aut editæ essent; quemadmodum Tabula quædam Theodosii II jussu delineata inscriptionem habebat metricam qua opus istud decimo quinto imperatoris consulatu (435 P. C.) confectum esse prodebatur [1]. Ita factum est ut Pseudo-Æthici Cosmographia cujus, in antiquioribus codicibus, prima verba sunt : « *Julio Cæsare et M. Antonio coss. omnis orbis peragratus est* », in nonnullis mssis libris pro opere J. Cæsaris et M. Antonii venditetur.

Nonne igitur verisimile videtur pariter a Nostro consules in cosmographos esse mutatos? Quum autem, omnibus locis, consulum nominibus tertium nomen accedat, hoc tertio descriptorem mappæ, vel, ut illis temporibus aiebant, philosophum geometricum repræsentari arbitramur. Nec male cum his conjecturis congruunt quæ paucæ supersunt mediæ ætatis mappæ. In illa enim mundi mappa, nuper a Jomard, viro de Geographia meritissimo, edita [2], quam in ecclesiæ cathedralis Herefordiensis pariete pictam asservant, primus circulus hanc inscriptionem exhibet litteris grandioribus ac vetustis exaratam [3] : « A Julio Cæsare orbis terrarum metiri cœpit; a Nichodoxo omnis oriens dimensus est; a Policlito meridiana pars dimensa est. »

Cæterum hac tabula in eum quoque finem licet uti, ut

1. *Theodosius princeps venerando jussit ab ore*
*Confici, ter quinis aperit dum fascibus annum.*

V. Dicuil, p. 18, ed. Letronne; Mannert. Introd. in Tab. Peut., p. 19; Rossi, l. c., p. 17.

2. Monuments de la géographie publiés par M. Jomard, membre de l'Académie des inscriptions et belles lettres.

3. Quam quidem inscriptionem, sicuti alia complura quæ in tabula Hereford. leguntur, auctor petivit e cosmographia Æthici vel potius Anonymi, cui Æthici nomen olim affingebatur.

quanam ratione scriptores commenticii, quos testes Noster adhibet, orti sint, intelligatur. Inter imagines enim quibus Orbis ille pictus illustratur, in Ægypto vides horreum Josephi, his juxta puteum subscriptis verbis : « Hic congregatus populus in Ramesse (id est, regnante Ramse) exiit de Ægypto, altera die post Pasca. » Jam vero alii, sicut in chronicis Eusebius, Judæos ex Ægypto profectos esse non sub Ramesse produnt, sed regnante Cenchri, quem quidem inter Ægypti descriptores Anonymus noster recenset. Nonne sponte hinc conjectura subnascitur Ravennatemin sua Ægypti tabula, similem reperisse imaginem cui Cenchris nomen appictum esset, indeque suum traxisse geographum?

Nec procul in eadem mappa fabulosam illam plantam Ἀνθρωπόμορφον, mandragoram, de qua multa narraverunt veteres humana specie effictam invenimus, quam effigiem si in sua mappa Anonymus habuit, his subscriptis : « Plantaris vir, » nil mirum, corrupto aliquantulum vocabulo, si Blantasim auctorem juxta Cynchridem collocaverit. Jam Amazonidas Penthesileam Marpesiamque quomodo repererit in Amazonum regione satis apparet.

Plerosque igitur quos enumerat auctores Anonymus commentitios esse facile concedo; haud vero idem in omnes cadere mihi videtur. Illud enim operis caput, quod ad Galliam pertinet, diligentius evolvens, plura reperisse mihi videor quæ animum inducerent ut nonnullos ex illis descriptoribus vere exstitisse crederem. Sed de his aptior disserendi locus erit postquam ipsam materiam, unde colligenda sint argumenta, sub oculos posuero.

Totum igitur opus e duplici fonte ortum opinor : hinc Anonymo nostro adjumento fuisse scriptores quosdam

paucissimos, quorum e numero Gothos Athanaridum et Eldebaldum fuisse demonstrabitur; inde multo ampliorem ei materiam fuisse allatam ex aliqua mappa Peutingerianæ nostræ consimili, quam, licet apertis verbis nusquam commemoratam, significari arbitror quotiescumque Castorius ille profertur quem semper subsequuntur Lollianus et Arbitio consules. Jam evolvamus Cosmographiam : prima omnium India Dimirica a qua exordium sumit, mox India Serica, Thermantica, Parthia, Persia, Arabia, Hyrcania, Media, Assyria, Castorio uno auctore describuntur. Postquam ad Armeniam ventum est, nondum omittitur Castorius, sed in partem tantum auctoritatis cum pluribus aliis admittitur, de quibus his Noster[1] : « Quas diversas patrias (Armeniam, Sianiam, Albaniam) multi descripserunt philosophi ex quibus ego legi Arsatium et Adfroditianum Persas, qui lingua græca orientem descripserunt, et Castorium, Romanorum cosmographum; sed non æqualiter nominaverunt civitates et suprascriptas patrias. Ego vero secundum præfatum Castorium tam ipsas civitates quam diversa flumina liquidius nominare cupio. »

Deinceps citantur Jamblichus, Pyrithon et Porphyrius, quorum hic propter libros κατὰ Χριστιανῶν scriptos, quos Eusebius refellere amplissimis commentariis studuerat, Theodosius vero flammis tradi jusserat, infamiæ nota premebatur. Inde fit ut Christianus noster, quinquies Porphyrii mentionem injiciens, nusquam nomen ejus prodat quin simul probrosum aliquod vocabulum adjungat, modo *nefandum* dicens, vel *miserum*, modo *nefandissimum miserrimumve*[2].

1. L. II, c. 12.
2. L. II, c. 16; IV, 3; IV, 5; IV, 6; IV, 7.

Quatenus extra Europam res agitur, fundus operis est Castorius et fons doctrinæ propemodum unicus; ubi vero Europam tractat Anonymus, alia complura profert philosophorum, ut ait, nomina, ita tamen ut in hac quoque parte nullo frequentius utatur quam Castorio illo qui princeps totius cosmographiæ auctor esse videtur. Nec satis : alio enim loco, Anonymum deprehendimus ultro confitentem nomina sibi auctorum e Castorio suppetere, quod haud modice nostris auxiliatur conjecturis. Plerumque enim, si plures in testimonium vocat auctores, significat singulos a se esse perlectos ac diligentius esse examinatos, inde fidem aut huic aut illi potissimum datam, ut in loco libri secundi supra citato.

Duobus tamen locis [1] Castorium et auctores ipsum citantem, et electæ opinionis vadem producit : « in qua patria plurimas legimus fuisse civitates inter Orientis philosophos, ut ait Castorius ». Ipse autem Anonymus docet in opere Castorii plura fuisse indicata quæ colligenda non censuerit; summam vero rei quæ in opere Castorii versatur manifeste prodit hisce : « Potuissemus, Christo nobis auxiliante, subtilius dicere totius mundi portus et promontoria, atque inter ipsas urbes miliaria vel quo cunctæ patriæ aut qualiter ponuntur, mirifice depingendo, designare [2]. » — Quodnam igitur aut quale fuisse arbitremur illud in quo portus, promontoria, milliaria singula notata essent, nisi mappam Peutingerianæ nostræ similem; scripta certe Itineraria ad modum eorum quæ cum Pseudo-Æthici cosmographia usque ad nostram ætatem pervenerunt? Illum igitur Castorium satis constat mappæ geographicæ

1. L. II, c. 10 et 13.
2. L. I, c. 18.

vel editæ tum primum, vel instauratæ, vel ab omni parte transcriptæ ad antiquioris monumenti fidem, vel auctorem, vel descriptorem fuisse.

Qualis autem aut cujus generis mappa illa fuerit, ne hoc quidem desperaverim ex ipsius Anonymi verbis posse divinari.

Scimus duo exstitisse apud Romanos mapparum genera, quarum aliæ, haud multum a nostris diversæ, cognitas illis temporibus orbis partes, iis figuris repræsentarent quas ipsarum regionum esse credebant; qualis famosus ille fuit *Orbis pictus* quem Agrippa, gener Augusti, in porticu Vipsania sive Polæ pingendum curavit. Has, ut et multa continerent et quæque possent facile discerni, ea describi mensura necesse fuit, ut loco moveri sine magna difficultate nequirent. Itaque in usum eorum qui, geographiam non curantes, nihil nisi itinerariorum indiculum spatio modico comprehensum desiderarent, aliud mapparum genus delineari cœpit, quod doctrinæ damnum usus facilitate compensaret. Videlicet orbem terrarum a borea et austro ita quasi comprimebant et coercebant, ut orbiculata forma in tæniæ versus ortum et occasum porrectæ longitudinem extenderetur, quæ in chartis quarum forma a librorum voluminibus nihil recedebat, repræsentari poterat. Quo quidem artificio, quum vasta maris spatia tantum non prorsus evanescant, et habitus terrarum mirum in modum adulteretur, viæ denique a vera directione sua sæpius violenter detorqueantur, laudem earum tabularum præcipuam in diligentia qua series oppidorum distantiæque notarentur repositam esse, nemo non largietur.

Verum enim facile intelligitur gravissimis erroribus obnoxium fuisse hominem ineptum, qui hujusmodi tabula

instructus formam regionum, usus causa mutatam, veræ locorum dispositioni respondere crediderit. Haud erit igitur ab re exquirere utrius generis mappam Anonymus ad manum habuisse videatur.

In prima operis parte quam proprio vocabuli sensu cosmographiam vocare licet, mundi quoddam systema explicat cujus vestigia nequicquam apud Patres Ecclesiæ cæterosque mediæ ætatis cosmographos quæsivi : totum scilicet orbem in duas partes dividit, media quadam linea ab ortu ad occasum ducta; ab ea, meridiem versus, horas diei collocat duodecim; quæ vero pars ad septentrionem vergit totidem horas noctis continet. Minime mihi dubium quin ante oculos habuerit Anonymus Orbem pictum, quum mundi sui descriptionem tali ratione ordinandam censuit.

Attamen ex Orbe picto ejus operis partem præcipuam defluxisse, quanquam doctissimus vir Th. Mommsen, *regni Neapolitani inscriptionum* editor, affirmat, equidem inficiari ausim. Scripsit enim Th. Mommsen de Ravennate dissertationem [1] in qua nostri auctoris opus cum tabula Peutingeriana comparat, ordinem secutus lucidissimum convenientissimumque quo nos in hoc quoque libello, quantum ad Galliam pertinet, utendum potissimum censuimus. Idem autem, cur ad fidem Orbis picti totum opus conscriptum fuisse credat, eo minus intelligo, quod in ipsa ejus dissertatione argumenta validissima reperio cur Anonymum tabula, ad instar Peutingerianæ depicta, præsertim usum fuisse putemus.

Optime enim Mommsen animadvertit vocabula illa

1. Berichte über die Verhandlungen der königlich sachsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig, 1851.

*juxta*, *desuper*, *in ipsa regione*, quibus plerumque utitur Anonymus ubi ad alteram nominum seriem transit, ad mappæ distributionem, potius quam ad ipsorum locorum situm, spectare. Fit etiam interdum ut cosmographus noster bis idem loci nomen referat, cujus rei intelligentiam nobis ministrat Peutingeriana tabula : nam, ne nimis intricatis lineis confunderentur plures viæ e diversis partibus in unum locum convergentes, aliquando unum idemque oppidum bis notabant; quod factum esse in Peutingeriana videmus de Tibisco Daciæ et nonnullis aliis. Hoc ipsum porro Tibiscum Noster bis in suo libro memoravit; rei videlicet causam minime intellexit, et duas ejusdem nominis civitates esse credidit [1]. Unde apparet arctissimam esse mappæ qua Noster usus est cognationem cum Peutingeriana tabula. Verum enim in tabula illa, quantumvis ampla, videmus multo pauciora quam in Anonymo contineri, adeo ut Orbis pictus arctiori certe spatio plura continere non potuerit; adde quod non pauca se in sua descriptione omisisse Noster affirmat. — Denique loca quædam fere inextricabilia explicari possunt, si tabulæ Peutingerianæ auxilium admoveris : cujus generis illud fortasse est *Gallia Belgica Alobrites* [2] quod circa plurimum æstuaverunt interpretes.

Quod si tabulam Peutingerianam inspexeris quæ flumen Rhenum recta linea repræsentat, tota scilicet Gallia

1. Cæterum Mannertum, qui utrumque *Tivisco* tabulæ Peut. ad unum idemque oppidum pertinere censet, vix probandum esse haud improbabiliter monet Ukertus, *Geogr.*, t. III, *pars* 2, p. 616. Qui alterum Tivisco componit cum oppido quod ap. Ptolemæum (III, 8, p. 208), inque titulis *Tibiscum*, Τιβίσκον, scribitur, et prope hodiernum *Temesvar* situm erat; alterum vero Tivisco Ukertus statuit non diversum esse ab eo quod Τιβίσκον vocatur in Ptolemæo (III, 8, p. 207), et in ruinis quæ juxta hod. *Kaverau* exstant, superesse creditur. — Tertium denique locum cui Τιβίσκα nomen ad Danubium ponit Ptolemæus, III, 10, p. 213.

2. L. IV, c. 24.

in formam longi marginis depressa, videbis partem vocabuli *Belgica* juxta urbes Allobrogum extendi ; nimirum finitimæ erant illæ regiones ex quo Maximam Sequanorum Belgicæ adjunxerat Augustus, quod ipse Anonymus memorat paulo infra, quum descriptionem Burgundiæ aggrediens his verbis utitur [1] : « Item, juxta prælatam Galliam Belgicam, Allobroges ponitur patria quæ dicitur Burgundia. » Hic quidem vox Allobroges separari a prioribus potest et ita, mea sententia, intelligendum est quasi dixerit auctor : juxta Galliam Belgicam Allobrogum ponitur patria quam Burgundiam dicunt. Igitur quidni credamus vocem illam *Allobroges* tabulæ qua Noster utebatur inscriptam fuisse illis vocibus proximam : *Gallia Belgica?* Jam minime mirum ab homine ignaro diversa nomina in unum nomen inepte fuisse conjuncta.

Restat nunc ut de patria, conditione, ætate nostri auctoris quid credendum videatur paucis explicemus. Patriam quidem fuisse Ravennam ipse nobis indicavit his verbis : « Ravenna nobilissima in qua, licet idiota, ego hujus cosmographiæ expositor, Christo adjuvante, natus sum [2]. » Monachum fuisse facile conjicitur tum ex crebra Christi invocatione, tum ex eo quod et auctoritate Patrum sæpissime nititur et suam cosmographicæ doctrinæ rationem studiosissime conatur ad Bibliorum sacrorum sensum accommodare, et eum ad quem librum suum mittit nomine *carissimi fratris* appellat.

De ætate magis ambigitur. Credidit Porchero circa finem septimi P. C. sæculi posse collocari, quod nullum recentiorem auctorem citaret quam Isidorum Se-

1. L. IV, c. 26.
2. L. IV, c. 30.

villensem, anno P. C. 636, mortuum; simul quod sub finem septimi sæculi, Damiano Ravennensis ecclesiæ episcopo, bibliotheca incendio deleta fuit : « In illo si quidem incendio, ait, periisse crediderim tot scriptorum hactenus incognitorum lucubrationes, quas in operis sui subsidium adhibuerat noster Anonymus [1]. » Verum enim hanc conjecturam parum valere constat, quandoquidem Marpesium, Pyrithon cæterosque nostri hominis auctores eos fuisse comperimus quorum opera non combusta magis quam edita unquam fuerint. Altius autem perspectis ipsius auctoris verbis, Mannert, Mommsen et alii complures cosmographiam nostram nono potius sæculo addicendam existimaverunt. Nempe in Italiæ descriptione mentionem infert *Imperialis Estratæ* [2], quod nomen in honorem Caroli Magni nova, nono ineunte sæculo, dignitate insigniti, viæ Æmiliæ fuit inditum. Necnon in Daniæ descriptione legimus : « Quæ Dania modo Nordmannorum dicitur patria [3] ». Nordmannorum autem mentio nulla antiquior est quam in Eginhardo [4]. « Dani siquidem ac Sueones, quos Nordmannos vocamus, et septentrionale littus et omnes in eo insulas tenent. »

Nomen etiam Anonymi reperisse sibi visus est, priore sæculo, P. Beretta ordinis S. Benedicti qui, in dissertatione a Muratorio in decimum volumen Historicorum italorum collocata, demonstrare conatus est eumdem esse Nostrum ac Guidonem quemdam quem decimo sæculo vixisse arbitrabatur. Hæc opinio, cui eruditi viri complures et ipse Wesselingius assenserunt, aberrat a vero. Verumtamen

1. Porchero in sua præfat., p. XIII.
2. L. IV, c. 29.
3 L. IV, c. 13.
4. Vita Caroli Magni, c. XIII.

illius Guidonis opus cognationem tantam habet cum Anonymi opere, ut non sit silentio prætereundum, quum præsertim in opusculo recens edito [1] C. Bock, de historia vir bene meritus, plenissimam illius operis notitiam dederit et codicem ipsum diligentissime descripserit.

Codex in bibliotheca Bruxellarum burgundensi nuncupata asservatur numeris signatus 3897-3918. Hæc in prima pagina leguntur : « Incipit prologus libri Guidonis compositi de variis historiis pro diversis utilitatibus lectori proventuris. » Mentione anni subscripta millesimi centesimi et undevicesimi, quo videlicet codex transcriptus est. Quasi silva quædam est excerptorum e veteribus historicis et geographicis fragmentorum. Pars autem geographica descriptionem Italiæ continet et periplum Mediterranei maris, quæ ex Anonymo Ravennate Guido mutuatus est. Sed, quanquam in plerisque ambo opera consentiunt, aliquid tamen haud leve inter utrumque interest. Quum in Anonymi ipsius codicibus nihil aliud reperiatur quam arida nominum enumeratio, his addidit Guido varias notulas de locorum intervallis, de urbium origine, historia, situ, sacris profanisque monumentis, et de Sanctis Martyribusque in honore habitis, quibus omnibus intermiscuit interdum Virgilii, Juvenalis, Dionysii periegetæ aliorumque versus. Ne quis tamen existimet ratione et ordine dispositas esse illius notulas : circa initium operis satis frequentes, rarescunt sensim ita ut, sub operis finem, vix mentio Sanctorum servetur. Inde fit ut in Italia quidem multa proferat Guido atque Anonymi textum, hac in parte admodum obscurum, clariori luce illustrare possit;

1. *Lettres à Monsieur Bethmann sur un mss. de la Bibliothèque de Bourgogne intitulé* Liber Guidonis.

cætera autem cursim adumbret, ac nomina tantum referat Gallicarum urbium quæ in littore Mediterranei maris positæ erant.

Quod si in illo Guidonis opere quid cum Anonymo conveniat, quid discrepet attentius perspexerimus, minime dubium erit quin diversis temporibus vixerint. Nihil enim in hoc reperias unde colligi possit auctorem post nonum sæculum vixisse; ille vero rerum actarum seriem enarrat usque ad annum MCVIII, secundum scilicet imperatoris Henrici quinti regnantis. Ideo eum pro Ravennate nostro nonnulli acceperunt quod homo stolidus, in transcribenda Italiæ descriptione, locum illum etiam transcripsit quo Noster se Ravenna oriundum profitetur. Ipsum autem Pisæ natum fuisse C. Bock, ipsa auctoris verba colligens, optime demonstravit. In illo veluti miscellaneo pulmento temere congesta reperias Isidori Sevillensis capita de *Regnis Militiæque vocabulis, de habitaculis, de civibus, de Annulis;* ejusdem chronologiam, supplemento usque ad regnum Henrici quinti addito; carmen de Pisanis rebus, Trojani belli narrationem, carmen aliud de Hectoris morte et Pauli Diaconi romanam historiam, interjectis passim figuris pictis et una geographica mappa ineptissime adumbrata. Huic operis totius descriptioni scribendi genus satis respondet; adde quod plura notat C. Bock quæ auctoris inscitiam arguant, ita ut plane appareat disparem hunc ætate, sed ingenio persimilem fuisse nostri Ravennatis, cujus membra misere discerpsit. Hunc tamen commentator batavus singulari studio videtur amplexari ac fovere: ingenium hominis miratur, et eruditissimo paulo posterioris ætatis viro Vincentio Bellovacenci proximum æstimat, compositionem etiam operis laudat, et ingeniosius,

ut videtur, quam verius, excogitare laborat quomodo aliquam ille sibi rationem proposuerit in confusa operis materie deligenda aut ordinanda. Trojani igitur belli narrationem ideo ab auctore esse scriptam contendit, ut antiquæ reviviscerent imperii Romani origines, unde augustiora accederent Germanorum Cæsarum auctoritati initia. Cur seriem Langobardorum ducum truncam et imperfectam ediderit, causa est quod tractat illam historiæ partem quæ ad jura Cæsarum defendenda pertinet. Imo e picturis quoque et ornamentis codicis, commentator laudem auctori suo quæritat. Imaginem quamdam hominis nescio cujus C. Bock effigiem esse imperatoris Henrici quinti affirmat, quæ quasi præfationis partes egerit, in qua potuit auctor suam erga Cæsarem benevolentiam declarare : nam Cæsarianum fuisse hominem et pontifici romano quam maxime infensum pro certo commentator habet. Augusti quoque et Vespasiani imagines, recondito consilio, auctor pingendas curavit, quippe quorum alter indictiones creaverit, alter, Hierosolimorum expugnator, jus Cæsaris militare significet.

Valde hæc ingeniosa, imo nimis, et decora magis quam utilia. Cavendum est in primis quod plerumque in commentandis illis priscarum ætatum auctoribus evenit, ne nimium subtiles sensus eis tribuamus quæ ab illorum temporum simplicitate prorsus abhorrent. Equidem ea ipsa relegens, quæ ex auctore suo C. Bock excerpsit, difficile pervincar ut tantam rei politicæ prudentiam, tantam conscribendi operis intelligentiam homini concedam.

Alterum est in quo cum C. Bock, viro eruditissimo, minime consentire possim. Nimium Guidonem atque Anonymum putat uno eodemque opere usos esse, e quo suas ille nar-

rationes ac descriptiones excerpserit, hic summam totius operis in breve compendium contraxerit. Mihi quidem totum Ravennatis opus perlegenti, et, quam maxima potui diligentia, scrutanti, materia visa est e pluribus fontibus temere compilata, amplioris vero operis unius compendium fuisse prorsus inficiari ausim. Minime sane docendus C. Bock, ut qui Anonymum usu et experientia noverit, quam inepte compositum scriptumque opus sit. Divisio quidem quæ apud cæteros ejusdem ætatis cosmographos reperitur, plane rudis ingenii est : in tres partes divisa est terræ descriptio, prout inter se totum orbem filii Noemi partiti esse feruntur. Enumeratio autem locorum, quæ nihil ultra nomina continet, ex una tabula derepta est, cui pauci admodum auctores accesserunt, ut supra dictum est, et paulo infra demonstrabitur. Minime autem verisimile videtur ita intelligentem hominem fuisse Anonymum, ut nomina locorum excerperet, nihil omnino e notulis servaret, si quas adjectas reperisset. Nihil porro tale reperitur in Anonymo qui Constantinopolim, Romam, Carthaginem, Ravennam, *nobiles*, *nobilissimas* aut *insignes* urbes dixisse satis habet.

Facile equidem crediderim Anonymum Guidoni fuisse in manibus; quem quum nimis aridum hic judicaret, hinc et inde collecta superinjecit notitiarum fragmenta quas septimo sæculo æque ac C. Bock libenter addixerim. Nihil autem causæ est cur opus exstitisse antiquius arbitremur e quo tam male inter se cohærentia proveniant.

Imo antiquum illud opus C. Bock affirmat græca lingua scriptum fuisse, ita ut id Anonymus non modo in breve contraxisse, verum etiam e græco vertisse videatur. Nec non auxiliatur huic opinioni Th. Mommsen, cui nonnullæ

videntur vocabulorum formæ ac verborum ambitus Græcam originem spirare. Nimis solertem equidem fatear, si quis, in tanta cosmographi nostri barbarie, græcam aliquam latinamve verborum σύνταξιν discernere queat. Quod si græca verba occurrunt, ut *Polilogia*, *Cosmographia* et alia quædam, non desunt contra langobardicæ quoque formæ ut *colfora* [1] pro Colfos. Nam monet in glossario Cangius, de verbo *arcora*, desinentiam hanc apud Langobardicos scriptores in usu fuisse : « solent, ait, veteres præsertim, nomina quædam masculini generis per *ora* in plurali femineo efferre. » Non ideo tamen a Langobardica magis quam a græca lingua translatum opus esse conjiciam, sed potius reor Ravennæ, illo tempore, Græcos, Langobardos, multosque alios e diversis gentibus convenisse, quorum peculiares dicendi formæ in usum venissent : nam nemo nescit ita dilabi plerumque veterascentes linguas ut alienigena undique verba recipiant. Alterum denique illud objiciam : in tabula Peutingeriana nomina græcæ formæ occurrere non pauca, præsertim in asiaticis regionibus, non quod græce unquam scripta fuerit, sed potius ad Græcorum monumentorum fidem expressa, quæ ab Alexandrinis geographis repetenda esse videntur.

Censeo igitur Anonymi ipsius opes a Guidone in partem operis geographicam esse congestas, notulis auctas ex opere sæculi septimi excerptis. Et plurimum quidem ille Guido prodesse potest ad explanandam auctoris nostri partem quæ ad Italiam pertinet, ut qui codice usus sit minus adulterato quam qui supersunt; sed idem, ut supra

1. L. I, c. 17.

diximus, in Gallia fere nullus est, ita ut nihil omnino inde ad nostram rem utile redundet.

Hæc fere sunt quæ de universo Anonymi opere, de auctoribus quorum auxilium adhibuit, de ætate ejusdem ac conditione probabiliter dici posse nobis videbantur ; jam ipsa verba quibus auctor Galliam describit exhibebo ad fidem codicis Parisiensis, adjectis ex altero utroque msso lectionibus variis. — Tum denique argumentis demonstrare tentabimus in hac parte ad Galliam pertinente non e tabula tantum opes esse dereptas, sed alterum simul adfuisse monumentorum genus; quorum quæ fuerit ætas considerabimus.

Sed operæ pretium est, priusquam ab hac prima operis parte digrediamur, egregium opus memorare quod, in secunda nostra parte, plurimum profuisse apparebit, dissertationem scilicet recentissime editam [1] a docto viro Guillelmo Lejean, qui nominum ab Anonymo enumeratorum convenientiam cum recentioribus nominibus diligenter perquisivit.

1. *Bulletin de la Société de Géographie* de Paris, octobre-novembre 1856.

## II

### COSMOGRAPHIÆ DE GALLIA CAPUT NOMINUMQUE GEOGRAPHICORUM QUÆ IN EO CITANTUR INTERPRETATIO.

Verba Anonymi ad Parisiensis codicis fidem dedimus; variæ lectiones accesserunt e Vaticano atque Lugdunensi codice desumptæ quarum illæ littera V, hæ littera L notabuntur. Quod ad capitum descriptionem pertinet Porcheronem sequi parum placuit; opus alia ratione divisum proferimus.

### GALLIA.

*Caput I. Pars prior Franciæ Rhenensis.* — Iterum ad frontem ejusdem Frigonum patrie, quomodo, verbi gratia, ut dicamus ad terram spatiosam, ponitur dicitur, Frantia Rinensis que antiquitus Gallia Belgitia Alobrites[1] dicitur, quam patriam plurimi descripserunt phylosophi ex quibus ego legi prenominatos Anaridum et Eldebaldum atque Marcomirum, Gothorum[2] phylosophum, sed non equaliter prefatam designaverunt patriam; sed alius dixit aliter, alius vero alio modo : sed ego, secundum prefatum Anaridum, Gothorum phylosophum, inferius dictas civi-

1. Meas de hac *Gallia Belgica Alobrites* conjecturas vide supra ad paginam 18.
2. Marcomirum seu Scorium Goth in V.

tates prefate Francorum patrie nominavi. In qua patria plurimas fuisse legimus, ex quibus aliquantas nominare volumus : id est juxta fluvium Renum civitatem que dicitur [1] :

| *In Ravennate.* | *In Tabula Peutingeriana.* | *In Itinerariis.* | *Hodierna locorum nomina.* |
|---|---|---|---|
| Maguntia [2]. | Mogontiaco. | Mogontiaco. | Mayence. |
| Bigum. Bingum (V.). | Bingium. | Vingio. | Bingen, à 28 k. O. de Mayence. |
| Bodorecas. | Bontobrice. | Baudobriga. | Bopart, à 15 k. S. de Coblentz. |
| Bosalvia. | Vosavia. | - - - - - | Ober Wesel, à 27 k. S. de Coblentz. |
| Confluentes. | Confluentes. | Confluentibus. | Coblentz. |
| Anternacha. | Autunnaco. | Antunnaco. | Andernach, 18 k. N de Coblentz. |
| Rigo Magus. | Rigomagus. | - - - - - | Rimagen, à 20 k. N. d'Andernach. |
| Bonne. | Bonnæ. | Bonna. | Bonn. |
| Colonia Agripina. | Agripina. | Colonia Agrippina. | Cologne. |
| Rongon. Rungon (V.). | - - - - - | Burungo. | Woringen, à 15 k. N de Cologne. |
| Serima [3]. | - - - - - | - - - - - | Zons?, à 8 k. N. de Woringen. |
| Novesio. | Novesio. | Novesio. | Neuss. |
| Trepitia. | - - - - - | - - - - - | Strumpt?, bourg à 9 k. N. de Neuss. |
| Ascibugio. | Asciburgia. | - - - - - | Asberg, vis-à-vis du confluent de la Rhur et du Rhin. |
| Beurtina. Beurcina (V.). | Burginatio. | Burginatio. | Schenkenschantz, à 4 k. N.-O. de Clèves. |

1. In inquirenda Ravennatis cum Peutingeriana tabula itinerariisque congruentia, egregio usus sum opere cui titulus : *Itinéraires romains de la Gaule*, par M. L. Renier; Annuaire de la Société des Antiquaires, 1850.

2. Hæc enumeratio satis respondet, ut facile videbis, Rhenensi itineri tabulæ Peutingerianæ, mutato tamen interdum nominum ordine.

3. Idem fortasse oppidum atque Gesonia de quo Florus, l. IV, c. 12 : Bonnam et Gesoniam pontibus junxit (Drusus) classibusque firmavit. — Gesonia in medii ævi documenti[s] vocatur Sontinum, Sontina, nunc autem Zons.

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Hodierna nomina.* |
|---|---|---|---|
| Troja Noita.<br>Troja (L.) [1]. | Colonia Trajana. | Trajana colonia. | Kellen, à 1 k. N.-E. de Clèves. |
| Coadulfaveris [2]. | Veteris. | Veteris, castra leg. xxx ulpia. | Xanten. |
| Evitano. | Levefano. | - - - - - | Leersum ? |
| Fictione. | Fletione. | - - - - - | Fleuten, près d'Utrecht. |
| Matellionem. | Maulone. | - - - - - | Rhynenbourg, près de Leyde. |

Sunt et alie multe civitates ante prefatam Maguntiam juxta ipsum fluvium Renum site : sed dum ipse Renus per Almanorum venit terram, ideo non Francorum patriam nominavi. Transeunt autem plurima flumina inter quos fluvius maximus qui dicitur Renus, qui egreditur de loco qui dicitur Rausaconfitio [3]. Ingreditur vero ipse Renus in mare Oceanum sub Dorostate Frigonum patrie. In qua Francorum patria [4] id est :

| *In Ravennate.* | *Nunc.* |
|---|---|
| Logna [5]. | La Lahn. |
| Nida. | La Neethe. |
| Dubra. | L'Ourthe. |
| Movit. | La Meuse. |
| Rura. | La Rœr, affluents de la Meuse. |
| Inda. | L'Inde, affluents de la Meuse. |
| Arnefa. | L'Ahr se jette dans le Rhin à Rimagen. |

1. Idem error in inscriptione Maguntiaca occurrit, in qua legitur : Leg II Trojana.

2. Hoc vocabulum in tres partes esse scindendum censeo quorum duæ, id est, Coa dulfa, Castra Ulpia, tertia vero Veteres repræsentant.

3. L. Rausa confinitio. Nihil nunc vocabulo tali respondet; quid sit non novi, nisi fortasse pro Rhetiæ confinio irrepserit. Secundum Tacitum (*Hist.*, I, c. 60), Rhenus oritur in confinio Germaniæ Rhetiæque. Cf. id. *Germ.*, c. 1.

4. Supple ut videtur « plurima transeunt flumina. » Plurima legitur in V.

5. Idem. mea sententia, quod invenimus in Fortunato, l. VII, carm. 7.
« Langona dum vitreis terminus esset aquis. »

*Caput II. Thuringia*[1]. — Iterum desuper ipsam, quomodo ut dicamus ad faciem patrie Francorum Rinensium, est patria que dicitur Turringia, que antiquitus Germania nuncupatur, que propinquatur et patria Saxonum. Quam patriam secundum suprascriptum Anaridum phylosophum designavimus. In qua patria aliquanta castella fuisse legimus id est :

..... [2].

Per quam Turringorum patriam transeunt plurima flumina; inter cetera quæ dicuntur :

| | |
|---|---|
| Bac. | Le Nab [3]. |
| Et Reganus. | Le Regen. |

quæ in Danubio merguntur.

*Caput III. Suevia seu Alamannia* [4]. — Iterum propinqua ipsius Turrigie [5] ascribitur patria Suavorum que et Alamanorum patria confinalis existit Italie. Quam Alamanorum patriam plurimi descripserunt phylosophi ex quibus ego legi prenominatos ut Anarium et Eldebaldum [6], Gothorum phylosophos; sed non equaliter prefatam designaverunt patriam, sed et alius dixit aliter, alius vero alio modo. Ego autem [7] secundum prefatum Anaridum pre-

1. Thuringiam, quamvis nunquam pars Galliæ fuerit, non omittendam censui, quia eam inter Galliæ descriptionem, una cum Alamannia, Anonymus inclusit, ambasque ex Anarido suo petivit.

2. Nomina desunt in tribus cod. mss.

3. Invenitur in Fortunato *de Sigiberti nuptiis*, D. Bouquet, tome II, p. 503.

. . . . . Cui de patre virtus
Quam Nabis ecce probat Thoringia victa fatetur.

4. In Gregorio Turonensi invenimus, *Hist. eccl.*, l. II, c. 2, Vandalos secuti Suevi, id est, Alamanni.

5. V. Turrigniæ.

6. V. Eldeb.

7. L. vero.

nominate patrie civitates nominavi. In qua patria plurimas fuisse civitates legimus, ex quibus aliquantas designare volumus, id est :

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Nunc.* |
|---|---|---|---|
| Ligonas [1]. | Andemantunno. | Andematunno. | Langres. |
| Bizantia. | Vesontine. | Vesontione. | Besançon. |
| Nantes [2]. | - - - - - | - - - - - | Nantua. |
| Mandroda. | Epomanduo. | Epamanduoduro. | Mandeure. |

Idem juxta suprerscriptum fluvium Renum [3] sunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Gormetia [4]. | Borgetomagi. | Borbitomagus. | Worms. |

Quæ confinalis est cum prenominata Maguntia civitate Francorum. Item civitate :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Altripe [5]. | - - - - - | - - - - - | Altrip. |
| Sphira [6]. | Noviomago. | Noviomago. | Spire. |
| Porça.<br>Porza (V.).<br>Porsa (L.). | - - - - - | - - - - - | Pforz, à 1 k. N. d'Hagenbach. |

Argentaria [7] quæ modo Stratisburgo dicitur.

1. In Eutropio Lingones, postea vero in *Notitia Dignitatum* Lingonæ appellatur.

2. Ea prima est mentio loci cujus celticum nomen antiquitatem testatur. Nantoides invenitur hisce verbis in chron. S. Benigni : « Carolus (calvus) imperator, fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita defunctus est, atque in monasterio apostolorum Petri et Pauli conditus, loco qui dicitur *Nantoïde* a multitudine aquarum ibi confluentium. »

3. L. Rhenum.

4. In Ammian. Marcel. *Vangiones ;* in *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Vangionum, id est, Warmatia.

5. *In notit. Dignit.* Altaripa.

6. In Ammian. Marc. Nemetæ; in *Notit. Prov. et Civ.*, civitas Nemetum, id est, Spira.

7. Argentoratum (Strasbourg) cum Argentovaria (Colmar) hic Anonymus confudisse videtur.

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Hodie.* |
|---|---|---|---|
| Argentaria. | Argentorate. | Argentorato. | Strasbourg. |
| Bieçecha. Brezecha (V.). | - - - - - | Monte Brisiaco. | Brisach. |
| Bazela [1]. | - - - - - | - - - - - | Bâle. |
| Augusta. | - - - - - | Augusta Rauracum. | Augst. |
| Carstena. Caistena (V.). | - - - - - | - - - - - | Keisten, à 3 k. O. de Laufenburg. |
| Cassangita [2]. | - - - - - | - - - - - | Lindau (extrémité N.-E. du lac de Constance). |
| Wrcacha. Wrzacha (V.). | - - - - - | - - - - - | Zurzach, au-dessus du confluent du Rhin et de l'Aar. |
| Constantia. | - - - - - | - - - - - | Constance. |
| Rugium. | - - - - - | - - - - - | [3]. |
| Bodungo. | - - - - - | - - - - - | Bothman (pointe nord du lac de Constance). |
| Arbore felix. | Arbor felix. | Arbore felice. | Arbon. |
| Bracantia. | Brigantio. | Brigantia. | Bregentz. |

Iterum juxta suprascriptam civitatem Stratiburgo, id est, civitas quæ dicitur [4] :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Alaia. | Helellum. | Helvetum. | Ell sur l'Ill [5]. |
| Chorust. | - - - - - | - - - - - | Kork, sur la Kinzing, vis-à-vis de Strasbourg. |
| Ziaberna. | Tabernis. | Tabernis. | Rheinzabern, à 12 k. S.-E. de Landau. |
| Frincina. | - - - - - | - - - - - | ? [6]. |

1. In Ammian. Marcel. Basilia; in *Not. Prov.*, civitas Basiliensium.

2. In Ptolemæo Τάξγαιτιον, 2, 12, 15, p. 158, edit. Wilb.

3. Vix ausim proferre *Raggen* non procul a Constantiæ lacu ad locum qui vocatur *Tettnang*, quum me suadeat sola quædam nominum cognatio.

4. Hactenus nominum enumeratio Rheni cursum propemodum sequebatur; jam vero sine ullo ordine procedit, ut ne suspicari quidem liceat quæ nunc pluribus nominibus loca respondeant.

5. Schæpflinus in sua *Asatia Illustrata*, t. I, p. 19, has varias hujusce nominis formas producit : Elija, Elegia, Ella, El.

6. Nil probabile de hac urbe inveni. Lejean putat ob nominis similitudinem eam fortasse inveniri in vicis *Frankenheim* et *Friesenheim*, quorum posterior situs est ad Rhenum paulo supra Argentoratum.

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Hodie.* |
|---|---|---|---|
| Aon. | - - - - - | - - - - - | ? |
| Laguirion. | Large. | Larga. | Largitzen (Haut-Rhin). |
| Brava. | - - - - - | - - - - - | Barr?, 15 k. N. de Schelestadt. |
| Albisi. | - - - - - | - - - - - | Albisrieden, entre la chaîne de montagnes du même nom et le lac de Zurich [1]. |
| Ziurichi. | - - - - - | - - - - - | Zurich [2]. |
| Duebon. | - - - - - | - - - - - | Dubendorf?, près de Zurich et du lac du même nom. |
| Crino. / Crivo (V.). | - - - - - | - - - - - | Grivau, à l'extrémité E. du lac de Zurich. |
| Stafulon. | - - - - - | - - - - - | Stafa, sur le lac de Zurich (rivage sept.). |
| Cariolon. / Gariolon (V.). | - - - - - | - - - - - | ? |
| Thedoricopolis. | - - - - - | - - - - - | ? |
| Vermegaton. | - - - - - | - - - - - | Bremgarten, à l'ouest de Zurich et d'Albisrieden, à peu de distance du lac. |

## Item ad aliam partem sunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Augusta nova. | - - - - - | - - - - - | ? |
| Rizinis. | - - - - - | - - - - - | ? |
| Turigoberga. | - - - - - | - - - - - | Wurzburg? sur le Mein. |
| Ascis. | - - - - - | - - - - - | Eschau?, près de la rive droite du Mein. |
| Ascapha. | - - - - - | - - - - - | Aschaffenbourg-sur-le-Mein, en Bavière. |
| Uburzis. / Ubinzis. | - - - - - | - - - - - | Ober-Ursel? près de Wiesbaden. |
| Solist. | - - - - - | - - - - - | Soultz [3]?. |

1. Non censeo cum Guillelmo Lejean Albisi eumdem locum esse atque Arialbinno Itinerariorum; me vero tum nomen, tum Ziurichi vicinitas, impulerunt ut in montibus Albi potius collocarem.

2. Nulla hujus urbis antiquior mentio, nisi lapis anno 1747 repertus ubi legitur : STAT(io) TURICEN. De Tigurino pago Cæsar habet in Commentariis, l. I, c. 12.

3. Solicinium in Amm. Marcel., 27, 10, 6 et 30, 7, 7; ni potius sit Saulburg (S. E. de Wiesbaden), qui locus proximus est tum Meno amni, tum locis supra enumeratis.

*Caput IV. Franciæ Rhenensis pars altera.* — Ex Alimannorum patria....[1] delo Francia renense nominavimus sunt civitates, id est :

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Nunc.* |
|---|---|---|---|
| Nasaga. | Nasic. | Nasium. | Naix sur Ornain (Meuse) |
| Dinantis. Dionantis[2]. | - - - - - | - - - - - | Dinant. |
| Oin. | - - - - - | - - - - - | Huy[3]. |
| Namon. | - - - - - | - - - - - | Namur. |
| Neonsigo. | - - - - - | - - - - - | Nassoigne, non loin de Dinant, entre Marche et Saint-Hubert. |
| Trega. | - - - - - | - - - - - | Maestricht[4]. |

Item juxta prenominatum fluvium Mosela que Francia Rinensem[5] nominavimus sunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Tulla. | Tullio. | Tullum. | Toul. |
| Scarbona. | Scarpona. | Scarpona. | Scarpone, sur la Moselle, à 6 k. au-dessus de Pont-à-Mousson. |
| Mecusa. | Divo Durimedio Matricorum. | Divodoro. | Metz. |
| Gannia. Gaunia. | Caranusca. | - - - - - | Garsch, près Thionville. |
| Treoris. | Augusta Tresvivorum. | Treveris. | Trèves. |
| Nobia. | Noviomago. | Noviomago. | Neumagen. |
| Princastellum. | - - - - - | - - - - - | Berncastell. |
| Cardena. | - - - - - | - - - - - | Carden, village de la rive g. de la Moselle. |
| Conbulantia.[6] | Confluentes. | Confluentibus. | Coblentz. |

1. Hic lacunam notant codices P. et L., quam frustra supplere conati sumus, id vocabuli fragmentum : *delo*, ad aliquem sensum redigere tentanti nil probatu dignum occurrit. Legitur in V. : Alimannorum patria, Delo Frantia Renense.

2. Mosam nunc Anonymus sequitur. — Ea Dinantis mentio, ut animadvertit Porchero, eam longe antecedit quæ in capitularibus Caroli calvi occurrit ubi et Deonantis vocatur.

3. Ea vetustissima est mentio Hoii oppidi quod vocatur *Choa* in aliquot trientibus, ut opinatur doctor Voillemier, *Revue numismatique*, t. XI, p. 90.

4. Vocabulum Treja contractum esse videtur pro Trajecta Mosæ (Maestricht), ut Lejean suspicatus est.

5. L. Franciariensem.

6. Urbem jam memoratam, rursus nunc Noster in Francia producit, mutato tamen Confluentium in Conbulantiam nomine.

Item sunt civitatès in ipsa patria juxta fluvium quem inferius nominare volumus qui dicitur Lega (*la Loire*), id est :

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Nunc.* |
|---|---|---|---|
| Balidas. | - - - - - | - - - - - | Balbigny ? (près Néronde). |
| Martialis. | - - - - - | - - - - - | Volvic (Puy-de-Dôme), à 5 k. de Riom [1]. |
| Arigilia. | Ariolica. | - - - - - | Avrilly-sur-Loire (Allier). |
| Dizezeia. | Degena. | Decetia. | Decise. |
| Imbernis. Inibernis (V.). | Ebirno. | Nivernum. | Nevers. |
| Heliodorum. | Brivoduro ? | Brivodurum. | Briarre. |
| Arculla. | - - - - - | - - - - - | Jargeau ? [2]. |
| Aurelianis. | Cenabo. | Cenabum. | Orléans. |
| Blezis. | - - - - - | - - - - - | Blois [3]. |
| Bodonias. | - - - - - | - - - - - | Veuves?, sur la Loire. |
| Toronis. | Cæsaroduno. | - - - - - | Tours. |

Que confinatur cum prenominata civitate quam prediximus Pocellis [4] pertinere jam ad Germanorum patriam.

Item est patria [5] juxta fluvium qui dicitur

Egona. | L'Yonne.

id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Etisitiodorum. Etisidor. (V.). Etesitiod. (L.). | Autessio Duro. | Autesiodorum. | Auxerre. |

1. Legimus in Sidonio Apollin., l. II, ep. 14 : « In pago Violvascensi qui Martialis, ætate superiore, vocitatus est propter hiberna legionum julianarum. » — Longe quidem abest a Ligere cujus civitates Anonymus describere se affirmat.

2. In documentis medii ævi Jargeau vocatur Gargosilum ; vid. Valesii *Notitiam Galliæ*, p. 277 ; neque alium ad Ligerim locum reperio qui vocabulo *Arculla* respondere videatur.

3. Non vetustiorem novi hujus loci mentionem. In Greg. Turon., *Hist. eccl.*, VII, 2, invenimus : Defuncto Chilperico..... Aurelianenses cum Blesensibus conjuncti super Dunenses inruunt.

4. Pro *Pocellis*, quod omnino sensu caret, legendum censeo *Mosellis* cujus amnis civitat Anonymus nuperrime descripsit. Fortasse etiam noster stolidus auctor *Toronis* ad Ligerim cum *Treveris* ad Mosellam confudit.

5. Patriam hic pro civitate scripsit Anonymus.

Per quam Galliam transeunt plurima flumina inter cetera que dicuntur :

| | |
|---|---|
| Saruba. | La Sarre, affluent de la Moselle. |
| Bleza. | La Blies } affluents de la Sarre. |
| Nida. | La Nied } |
| Arsena. Assena (V.). | L'Aisne. |
| Maderna. | La Marne. |
| Cappis. | La Suippe? affluent de l'Aisne. |
| Albis. | L'Aube. |
| Egona. | L'Yonne. |
| Sigunna. Sigimma (L.). | La Seine. |
| Sumena. Rumna (V.). | La Somme. |
| Lege. | La Lys, affluent de l'Escaut. |
| Scaldea. | L'Escaut. |
| Catalumis. Campania. Catalannis Campaniæ (V.). | Châlons-sur-Marne[1]. |

*Caput V. Burgundia.* — Item juxta prelatam Galliam Belgicam, Alobroges[2] ponitur patria que dicitur Burgundia, quam Burgundiam secundam esse legimus Galliam. Quam Burgundiam plurimi descripserunt phylosophi ex quibus ego legi multotiens dictos Castorium et Lolianum atque Arbitionem Romanorum phylosophos. Sed non equaliter, alius vero alio modo. Ego autem secundum prenominatum Castorium Romanorum phylosophum inferius dictas civitates ejusdem Burgundie nominavi. In

1. Hic Anonymus civitatem pro amne sumpsit.

2. V. Asobriges. — Cave ne legas uno tenore, hic ut supra, *Galliam Belgicam Alobroges*, sed lege : juxta Galliam Belgicam ponitur patria Alobroges quæ dicitur Burgundia. Quod recte dicitur, namque antiquis Allobrogum civitatibus Burgundiones, quinto ineunte sæculo, potiti erant.

qua prefata Burgundia plurimas fuisse civitates legimus ex quibus aliquantas nominare volumus, id est, juxta fluvium Rodanum posite fuerunt civitates, id est [1] :

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Hodie.* |
|---|---|---|---|
| Octodorum. | Octoduro. | Octoduro. | Martigny en Valais. |
| Tarovas. Taravas (V.). | Tarnaias. | Tarnaias. | Masson, près Saint-Maurice (Valais). |
| Pennolocus. | Pennolucos. | Penne locos. | Villeneuve (canton de Vaud). |
| Bibscon. | Vivisco. | Vibisco. | Vevey (cant. de Vaud). |
| Lansonna. | Lacum Losonne. | Lacu-Lausonio. | Vidy, près Lausanne. |
| Equestris. | Colonia equestris. | Equestribus. | Nyon (canton de Vaud) |
| Genua. | Gennava. | Genava. | Genève. |
| Condate. | Condate. | - - - - - | Seyssel, au confluent du Rhône et du Fier. |
| Tenussilay. | Etanna. | - - - - - | Etein, au S. de Yenne-sur-le-Rhône, près du lac du Bourget. |

Item juxta suprascriptam civitatem Genua est quæ dicitur :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Obelonon [2]. | Cabillione. | Cavilluno. | Chalon-sur-Saône. |
| Dibialimon. Dibialinion (V.) | - - - - - | - - - - - | Dijon [3]. |
| Bidana. | Vidubia. | - - - - - | St-Bernard-sur-Vousge, près de Nuits (C.-d'Or). |
| Matiscum. | Matiscone. | Matiscone. | Mâcon. |
| Lucdonon. | Lugdune. | Lugduno. | Lyon. |
| Scatianorum [4]. | Foro Segustavarum. | - - - - - | Feurs (Loire). |
| Aque. Aqui (V.). | Aquis Segetis. | - - - - - | Moingt, à 1 k. S. de Montbrison. |

1. Dignum est notatu quantum ea enumeratio, quam e Castorio sumptam Anonymus asseverat, Tabulæ Itinerariisque consentiat.

2. Mihi admodum verisimile videtur Anonymum legisse in suo Castorio aut in sua Tabula Obelonon pro Cabilonum. Pleræque hujusce enumerationis civitates viam sequuntur in nostra tabula Peutingeriana delineatam.

3. Hujus loci antiquitatem marmor romanum testatur, ubi memorantur fabri ferrarii Dibione habitantes. — Gregorius Turon. in l. III, c. 19, *Hist. eccl.*, scribit : veteres ferunt ab imperatore Aureliano hoc castrum fuisse ædificatum.

4. Lege Segusianorum.

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Nunc.* |
|---|---|---|---|
| Sicut mageon. | Icidmago. | - - - - - | Usson, à 24 k. S. de Montbrison. |
| Ribision. | Revessionne. | - - - - - | St-Paulien (H^e-Loire). |
| Condare. | Condate. | - - - - - | St-Arcons-sur-l'Allier, près de Langeac (H^e-Loire). |
| Andereton [1]. | Anderitum. | - - - - - | Anterrieux, près de Chaudesaygues (Cant.) |
| Ugurnon. Ugernon (V.). | Ugerno. | - - - - - | Beaucaire (Gard). |

Que confinatur cum Arelaton civitate provincie Septimanie.

Item sunt civitates in ipsa Burgundia ad aliam partem ex quibus aliquantas nominare volumus, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Catabolon. | In Alpe Graïa [2]. | - - - - - | Descente du Petit-Saint-Bernard. |
| Breniton. | Bergintrum. | Bergintrum. | Bourg St-Maurice. |
| Amiman. | Aximam. | - - - - - | Ayme. |
| Daratatia. | Darantasia. | Darantasia. | Moutiers. |
| Obelonon. | Obilonna. | Obilonnum. | La Bâtie, près Conflans. |
| Punblicanos [3]. | Ad Publicanos. | Ad Publicanos. | Conflans. |
| Mantala. | Mantala. | Mantala. | Saint-Pierre-d'Albigy. |
| Leninum. | Leminco. | Lemincum. | Chambéry. |
| Laviscone. | Laviscone. | Labiscone. | Les Échelles (frontière de France et de Savoie). |
| Auguston. | Augustum. | Augustum. | Aoste (Isère). |
| Birgusia. | Bergusium. | Bergusia. | Bourgoing (Isère). |
| Benna. Beuna (V. L.). | Vigenna. | Vienna. | Vienne. |
| Ficlinis. Fidinis (V.). | Figlinis. | - - - - - | Saint-Rambert-sur-le-Rhône, à 13 k. N. de Saint-Vallier (Drôme). |
| Genua. | Tegna. | - - - - - | Tain (Drôme). |
| Valentia. | Valentia. | Valentia. | Valence. |

1. Cur subito ab Anderito ad Ugernum, locum longe distantem et in alia via positum, Anonymus divertat, nescio.

2. Hæc statio situ prorsus non nomine Cataboloni respondet; fortasse habuit illud nomen in Castorio vel in Tabula qua Noster usus est.

3. In tribus codicibus mss legitur : Obe. Lononpun. Blicanos.

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Nunc.* |
|---|---|---|---|
| Untiana. | Batiana. | H. [1] Vacianis. | Baix-sur-le-Rhône (Ardèche). |
| Acunon. | Acunum. | H. Acuno. | Anconne, près de Montélimart. |
| Bonomago. | Senomago. | - - - - - | Saint-Paul-Trois-Chateaux [2]. |
| Arasione. | Arusione. | H. Arausione. | Orange. |
| Abicinione. | Avennione. | H. Avenione. | Avignon. |
| Arascone. | - - - - - | - - - - - | Tarascon [3]. |

Item aliam partem in ipsa Burgundia regione fuerunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Alcacothin. | In Alpe Cottia. | - - - - - | Descente du mont Genèvre. |
| Brincatione. | Brigantione. | Brigantione. | Briançon (H[tes]-Alpes). |
| Rama. | Rama. | Rame. | Près de l'Argentière, sur la Durance, entre Briançon et Embrun. |
| Ebruduno. | Eburuno. | Eburoduno. | Embrun. |
| Canduribagus. | Catorigomagus. | Caturrigas. | Chorges (H[tes]-Alpes), à 16 k. O. d'Embrun. |
| Idodimus. | Ictodurum. | - - - - - | La Bastie vieille, à 7 k. E. de Gap. |
| Bapinco. | Vapincum. | Vapincum. | Gap. |
| Boccombri [4]. | Foro Voconi. | Forum Voconi. | Le Luc? (Var), à 20 k. S.-O. de Draguignan. |
| Cantinomagus. | - - - - - | - - - - - | Le Canet? 3 k. du Luc. |
| For [5]. | Foro Juli. | Forum Juli. | Fréjus. |
| Antes. | Anteis [6]. | - - - - - | Draguignan. |
| Gemina. | Geminas. | - - - - - | Mens (Isère). |

Item fuerunt civitates in ipsa Burgundia ad aliam partem, id est, juxta prelatam civitatem Canduribagus est civitas quæ dicitur :

1. Littera H. notantur loca quæ non nisi in Itinerario a Burdigala ad Hierusalem reperiuntur.

2. In Ptolemæo Νοιόμαγος. — In Notit. Prov. civitas Tricastinorum.

3. In Strabone, l. IV, διὰ Οὐγέρνου καὶ Ταρασκῶνος.

4. Iter quod adhuc sequebatur subito relinquit Anonymus, ut videre est Tabulam inspicienti; duo diversa itinera miscet, et Burgundiæ tribuit civitates quæ in regione quam Septimaniam vocat, sitæ erant.

5. *For* et *Antes* unum vocabulum efficiunt in cod. mss.

6. Nisi tamen sit Alarante Tabulæ et Itinerariorum, qui locus XIX millibus distat a Vapinco (le Monestier d'Allemont, sur la Durance, entre Gap et Sisteron).

| *In Ravennate.* | *In Tabula.* | *In Itinerariis.* | *Hodie.* |
|---|---|---|---|
| { Sanatione. { Savatione (V.). | Stabatione. | - - - - - | Le Monetier? à 13 k. N.-O. de Briançon. |
| Durotingo. | Durotinco. | - - - - - | Villard d'Arenne, à 28 k. N.-O. de Briançon (Hautes-Alpes). |
| Metroselon. | Mellosecto. | - - - - - | Bourg d'Oissans, sur la Romanche (Isère). |
| Cantourisa. | Catorissium. | - - - - - | S[t]-Pierre-de-Mesange, près de Vizille. |
| Fines Curarore. | Culabone. | - - - - - | Grenoble. |
| Maurogena. | Morginno. | - - - - - | Moiran (Isère). |
| Urdonno. | Turecionno. | - - - - - | Ornacieux (Isère), entre Moiran et Vienne. |
| { Tuco. { Tueo (V.). | Luco [1]. | Luco. | Luc (Drôme). |
| Bococilon. | Ad Deam Boconliorum. | Dea Bocontiorum. | Die (Drôme). |
| Auguston. | Augustum. | Augusta. | Aouste (Drôme). |

Item ad aliam partem in ipsa Burgundia sunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| { Gabilona [2]. { Babilona (L.). | Cabillione. | Cavilluno. | Châlon-sur-Saône. |
| Augunon. | Augustodunum. | Augustodunum. | Autun. |
| Ugenon. | Ugerno? | - - - - - | Beaucaire. |

Item juxta fluvium Duba Burgundie sunt civitates, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Busuntius. | Vesontine. | Vesontione. | Besançon. |
| Mandroda. | Epomanduo. | Epamanduaduro. | Mandeure. |
| Portin [3]. | - - - - - | - - - - - | Port-sur-Saône. |

1. Hic rursum Anonymus ab itinere suo ad aliud iter subito transilit.

2. Non assentio Guillelmo Lejean legenti pro hisce tribus nominibus Cavilline (Cavaillon) Clano (Saint-Remy) et Ernagina (Saint-Gabriel près Tarascon) tabulæ. Ego vero potius censeo Anonymum hic iterum inscripsisse Gabilone (Châlon), quia hanc urbem cum Obelone primum confudit; Augunon mihi absque dubio est Augustodunum; quid vero de Ugenon fieret, nisi fortasse locus sit idem qui supra Ugernon (Beaucaire), non reperi.

3. In *Notit. Prov. et Civit.*, Portus Abucini numeratur ultima inter civitates Maximæ Sequanorum.

Per quam Burgundiam transeunt plurima flumina, inter cetera transeunt fluvius qui dicitur :

| | | |
|---|---|---|
| Rodanus Lausonensis. | | Le Rhône. |

In quo Rodano ingreditur flumina, id est :

| | | |
|---|---|---|
| Duba. | | Le Doubs. |
| Sagauna. | | La Saône. |
| Izera. | | L'Isère. |
| Arab. | | La Saône sous son anc. nom l'Arar. |

Qui suprascriptus fluvius Rodanus ingreditur in mare Gallicum subtus prelatam civitatem Arelaton.

*Cap. VI. Septimania.* — Item juxta prefatam Burgundiam proxima [1] mare gallicum est patria quæ dicitur provintia Septimana quam provintiam Septimanam descripserunt phylosophi que [2] superius dictam Burgundiam descripserunt : ipsi et eandem designaverunt, sed ego secundum superscriptum Castorium inferius dictas civitates ejusdem Septimane provintie nominavi. In Septimana plurimas [3] fuisse civitates legimus ex quibus aliquantas designare volumus, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pomune. | - - - - - | - - - - - | Monaco [4]. |
| Scarpiana. | - - - - - | - - - - - | Scarena?, à 13 k. N.-E. de Nice-sur-le-Paglione. |

1. V. proximum.
2. V. L. qui.
3. V. plures.
4. In hoc nomine Pomune omnes interpretes hæserunt; imo etiam rem veluti desperatam abjecisse videntur; interpretationem ullam in thesauro topographico Reichardi frustra requiras; de hoc nihil amplius Walckenaër in restitutionibus Itinerariorum; ipse silet novissimus commentator Lejean. Minime tamen absonum pro Pomune legere Lumone, quod nomen in Itinerariis memoratum, Walckenaër Mentoni, alii aliis oppidis tribuendum censent. Mihi quidem quum hæc primum placuisset opinio, altera tamen succurrit in animum e divisione litterarum ducta, quam vero propiorem crediderim. Primis nempe litteris *Po* opinor vocem *portum* repræsentari, posterioribus litteris *mune* significari *Muneci*, ita ut nomen integrum fuisse videatur Portus Muneci sive Moneci.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Nicea. | - - - - - | Nicia [1]. | Nice. |
| [Ce] Mela. | Gemenello. | Cemenelo. | Cimiez, à 2 k. N. de Nice. |
| Conditia [2]. | - - - - - | - - - - - | La Colle, près Villeneuve, à l'embouchure du Var. |
| Anthopolis. | Antipolis. | Antipoli. | Antibes. |
| Orea. | Ad Horrea. | Ad Horrea. | Auribeau, à 17 kil. N.-O. d'Antibes. |
| Foro Duilium. F. Ovilium (V.). | Foro Julii. | Forum Juli. | Frejus. |
| Foroboconi. | Foro Voconi. | Forum Voconi. | Le Luc [3]. |
| Teloni. | - - - - - | Telo Martius [4]. | Toulon. |
| Pataum. | - - - - - | Taurentum? [5]. | Tarente (Var). |
| Carcarium [6]. | - - - - - | Carsicis? | Cassis. |
| Tegulitia. | Tegulata. | Tegulata. | Tretz ou Porrières aux sources de l'Arc. |
| Aquis Sextis. | Aquis Sestis. | Aquis Sextis. | Aix. |
| Maxilia. Marsilia (V.). | Masilia Grecorum. | Massilia. | Marseille. |
| Solarium. | - - - - - | - - - - - | Septeimes. |
| Calcaria. | Calcaria. | Calcaria. | Calas, près de Trebillane. |
| Ad Vicesimum. | - - - - - | - - - - - | Marlès, un peu au N. de Miramas. |
| Colonia maritin [7]. Colonia maritima (V.). | - - - - - | - - - - - | Les Martigues. |
| Fossis Marianis. | Fossis Marianis. | Fossis Marianis. | Foz-les-Martigues, à l'O. de l'Étang de Berre. |
| Areaton. | Arelato. | Arelate. | Arles. |
| Nemaus. | Nemuso. | Nemausum. | Nîmes. |

1. In Itinerario maritimo; vid. Wesselingium, p. 504.

2. Legitur in periplo, ut inferius videbis, Colonia Dicæorum; eadem, ut opinor, atque Deciatum Pomponii Melæ, l. II, c. 5. Codices mss. habent in parte quæ ad Europam pertinet Mela conditia. Verum in periplo legitur : Micalo. Colonia Dicæorum.

3. In quintum caput respice, p. 39; ubi Foro Julii et Foro Voconi inter Burgundiæ civitates memorantur.

4. In Itin. maritim. Wessel., p. 505.

5. In Itin. maritim. Wessel., p. 506; nisi forte sit Matavone tabulæ, Vins, à 7 k. N.-E. de Brignolles ( Var ).

6. In periplo Carnarium. An sit idem locus ac Carsicis in Itinerario maritimo memoratum affirmare non ausim. — In periplo Solarianum.

7. In Pomp. Mela II, 5, Maritima Avaticorum; in Ptolemæo Μαριτίμα κωλώνια Ουατιχῶν. De *Solario*, *Calcaria*, *Vicesimo* et *Colonia*, vide notulam, ad calcem capitis XII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Megaiona. Megalonà (V.). | - - - - - | - - - - - | Maguelone [1]. |
| Agate. | - - - - - | - - - - - | Agde [2]. |
| Beteroris. | Beteris. | Beterras. | Béziers. |
| Narbona. | Narbonne. | Narbonne. | Narbonne. |
| Suscilone. | Ruscione. | Ruscinone. | Tour de Roussillon, à 4 k. O. de Perpignan, sur la Tet. |
| Carcasona. Carcassona (V.) | Carcassone. | H. Carcassonne. | Carcassonne. |
| Caucholiberi. | Illiberre. | - - - - - | Collioure (Pyrénées-Orientales). |

Item litus mare fuistam suprercriptam (sic in mss.) civitatem quæ dicitur Fossis Marianis est civitas [3] quæ dicitur :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Calum. | - - - - - | Incarum [4]. | Carry, 16 k. O. de Marseille. |

Item civitas :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Latara [5]. | - - - - - | - - - - - | Lattes-sur-le-Lez (Ledum), rivière qui se jette dans l'Étang de Maguelone. |
| Sestantione. | Sertatione. | Sextantione. | Soustancion, à 2 k. de Montpellier. |
| Age Convenarum. Age Converantia. | - - - - - | - - - - - | Comment Bagnères est-elle mentionnée ici? |
| Burrea | Cesserone? | Araura sive Ciserone. | St-Thibery-sur-l'Hérault, entre Agde et Pézenas. |
| Abate. Bujet (in periplo) [6]. | - - - - - | - - - - - | ? |
| Rusino [7]. | Ruscione? | Ruscinone. | Tour de Roussillon, près Perpignan. |
| Age Calide. | Ad Centenarium? | Ad Stabulum? | Le Boulou-sur-le-Tech (Pyrénées-Orientales). |

1. Hæc est prima Magalonæ mentio.

2. In Ptolemæo, l. III, c. 4, Ἀγαθὴ πόλις.

3. In codicibus mss legitur : civitas per quam Septimanam provintiam transeunt (V. fluvius qui) quæ dicitur Calum. Aliquot, ut videre est, interversis eodem modo vocabulis.

4. Itinerarii maritimi, Wessel., 507.

5. Legitur in Pomp. Mela, l. II, c. 5 : ultra (Rhodanum) sunt stagna Volcarum, Ledum flumen, castellum Latera.

6 et 7. Eædem, ut opinor, quæ Agate et Suscilone?

Per quem Septimanam provintiam transeunt plurima flumina, inter cetera que dicuntur :

| | |
|---|---|
| Orobs. | L'Orb. |
| Et Edas [1]. | L'Aude. |

qui ingreditur in mare Gallicum terus [2] Narbonensis.

*Cap. VII. Britannia* [3]. — Ideo iterum ad Oceanum occidentalem juxta superius dictam Galliam (V. Bell'cam) ponitur patria que dicitur Britania in paludibus. Non illam Britaniam insulam diximus que intra magna Europa ponitur. Quam Britaniam plurimi descripserunt phylosophi ex quibus ego legi multotiens dictum Hararidum et Heldebaldum. Sed ego secundum prefatum Eldebaldum in ipsa Britania aliquantas fuisse civitates legimus ex quibus ex parte designare volumus, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Chris [4]. Ebris (V.). | - - - - | - - - - - | Kimper? |
| Venetis [5]. Venethis (V.). | Dartoritum. | - - - - - | Vannes. |

Per quam Britanniam plurima transeunt flumina, inter cetera, id est :

| | |
|---|---|
| Sigugna [6]. Sigi (V.). | La Vilaine? |
| Boo. Ignaboo (V.). | L'Odet? riv. qui passe à Kimper. |

Qui in Oceanum ingreditur.

1. Orbis et Atax Pompon. Melæ et aliorum.
2. Legitur *terus* in tribus cod. mss Porchero legebat *lacus;* invenimus enim in Plinio: Atax e Pyrenæo Rubrensem permeans lacum; III, 5. Fortasse tamen legendum est *trans*.
3. In Porcherone, lib. IV, c. 39.
4. Fortasse contractum vocabulum pro Coriosopitis?
5. In *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Venetum.
6. Eadem fortasse ac Vicinonia, Vigenna.

*Cap. VIII. Guasconia olim Aquitania.* — Iterum juxta ipsam Britaniam, circa limbum oceanum ponitur patria que dicitur Guasconia que ab antiquis Aquitania dicebatur. Quam Guasconiam plurimi descripserunt phylosophi ex quibus ego legi prenominatum Athanaridum Gothorum phylosophum; sed non equaliter prefatam designaverunt patriam : sed ego secundum prefatum Aithanaridum superscripte Guasconie (V. Gasconiæ) civitates vel flumina designavi. Quam Aquitaniam ipsi phylosophi multum fertilem esse dixerunt in omnibus victualibus. In qua Guasconia (V. Gasconia) plurimas fuisse civitates legimus, id est, ex quibus aliquantas nominare volumus, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Buturicas [1]. | Avaricum. | Avaricum. | Bourges. |
| Arivernis [2]. | Augusto Nemeto. | - - - - - | Clermont. |
| Argentine. | Argantomago. | Argantomago. | Argenton-s.-la-Creuse (Indre). |
| Limodicas [3]. | Ausrito. | Augustoritum. | Limoges. |
| Pictavis [4]. | Lemuno. | Lemounum. | Poitiers. |
| Mediolanos antinis. | Mediolano Saneorum. | Mediolanum Santonum. | Saintes. |
| Gilissima [5]. | - - - - - | - - - - - | Angoulême. |
| Petiagroris [6]. Periagoris (V.). Petiagoris (L.). | Vesonna. | Vesunna. | Périgueux. |
| Aginnis. Angivis (V.). | Aginum. | Aginnum. | Agen. |
| Caturtium [7]. | Dibona. | - - - - - | Cahors. |
| Rodingis [8]. | Segodum. | - - - - - | Rhodez. |
| Albigi [9]. | - - - - - | - - - - - | Alby. |
| Bordicalon. | Burdigalo. | Burdigala. | Bordeaux. |

1. In Ammian. Marcel. XV, 11, Biturigæ. — 2. Id., id. Arverni.
3. In *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Lemovicum.
4. In Ammian. Marcel., XV, 11, Pictavi. — 5. In Ausonii ep. 15, Iculisma.
6. In *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Petrocoriorum.
7. Id., civitas Cadurcorum. — 8. Id., civitas Rutenorum.
9. In *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Albiensium vocatur, quarta in Aquitania prima.

Item ad aliam partem sunt civitates in ipsa regione, id est :

| Blavia. | Blavia. | Blauto. | Blaye. |
|---|---|---|---|
| { Tiblosa. { Tholosa (V.). | Tholosa. | Tolosa. | Toulouse. |
| Luci [1]. | - - - - - | - - - - - | Loches Indre ou Gr.-Luc (Vendée). |
| Cantilia. | Cantilia. | - - - - - | Chantelle (Allier). |
| Langlo. | - - - - - | - - - - - | Angle?, sur le Langlin, à 45 k. N.-E. de Poitiers. |
| Blivida. | Diolinda? | - - - - - | La Linde-sur-la-Dordogne. |
| { Bargaridon. { Bagaridon (V.). | - - - - - | - - - - - | Biscarosse? [2]. |

Per quem Guasconiam (V. Gasconiam) transeunt plurima flumina, inter cetera que dicuntur, id est :

Ligeris qui dividit inter Gallias et ipsam Aquitaniam. Item fluvius.

| | |
|---|---|
| Caresangulis [3]. | La Charente. |
| Alere. | L'Allier. |
| Icara. | Le Cher. |
| Crosa. | La Creuse. |
| { Vicenna. { Vincenna (V.). | La Vienne. |
| Bicera. | La Vezère. |
| Dronona. | La Dordogne. |
| Ulta. | Le Lot. |
| Garruna. | La Garonne. |

Ex quibus aliquamtis fundunt [4] in Oceano.

1. Hic locus utrum sit Lucæ (*Loches*), Greg. Turon., an vetus quoddam Leucorum oppidum (*Grand-Luc*), ut *Deloche* opinatur (*Des Lemovices de l'Armorique*, Mémoires de la Soc. des Antiquaires, IIIe série, t. III,) an Lucio (*Luçon*), an Castrum Leucorum (*Chalus Haute-Vienne*), non ausim dijudicare.

Fortasse Bercorates Plinii (Biscarosse Landes), in Valesio et Danvillio.

3. Corruptum, ut opinor, pro Carantonis vocabulum.

4. V. Aliquantas funduntur.

*Cap. IX. Spano-Guasconia.* — Item juxta ipsam Guasconiam ponitur patria quæ nominatur Spano-Guasconia ; quam et ipsam illi phylosophi qui predictam Guasconiam designaverunt. Sed nos secundum prefatum Eldebaldum ipsam Spano-Guasconiam exposuimus. Quam Spano-Guasconiam ipsi phylosophi multum munitissimam patriam esse adfirmaverunt, circumvallatam ex tribus partibus Alpinis montibus, et a quarto latere a predicto Oceano. In qua Spano Guasconia aliquantas fuisse civitates legimus ex quibus et parte aliquantas designare volumus, id est :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Lacura. | Latora. | Lactura. | Lectoure. |
| Antis.<br>Autis (V.). | Eliberre. | Climberrum. H. Auscius. | Auch. |
| Censeramus [1]. | - - - - - | - - - - - | Saint-Lizier. |
| Combinias [2]. | - - - - - | - - - - - | Saint-Bertrand de Cominges. |
| Bigorrias [3]. | - - - - - | - - - - - | Tarbes. |
| Elusa. | Elusa. | Elusa. | Eauze. |
| Vasatis. | - - - - - | H. Vasatas. | Bazas (Gironde). |
| Landinorum. | - - - - - | - - - - - | Landiras? (Gironde), à 23 k. N.-O. de Bazas. |
| Aguisla. | - - - - - | Aquis Terebellicis. | Dax. |
| Vestianum. | - - - - - | Benearnum? [4]. | Environs de Maslacq (Basses-Pyrénées). |
| Sacer [5]. | - - - - - | - - - - - | Aire? |
| Saceronis. | Serione? | Sirione. | Confluent du Ciron et de la Garonne. |

Currunt autem [6] per ipsam Spano-Guasconiam inter cetera flumina, id est :

1. In *Notit. Prov. et Civit.*, civitas Consorannorum.
2. Ibid., civitas Convenarum.
3. Ibid., civitas Turba ubi Castrum Bigorra.
4. Nisi tamen sit Besino Tabulæ (Saint-Paul de Baise) (Gers).
5. Corruptum fortasse pro *Atura* vocabulum.
6. V. enim.

Medulla. | La Leyre?[1].

que in Oceano merguntur.

*Cap. X. Periplus Mediterranei ab Italia ad Hispaniam*[2]. — Iterum civitas :

| | |
|---|---|
| Pomune[3]. | Monaco. |
| Scapiana. | Scarena? |
| Nicea. | Nice. |
| Micalo.<br>[Ce] Mela[4]. | Cimiez. |
| Colonia Diceorum.<br>Conditia. | La Colle. |
| Antipolis.<br>Anthipolis (V.). | Antibes. |
| Orea. | Auribeau. |
| Foro Julii. | Fréjus. |
| Patavi.<br>Pataum. | Vins ou Tarente. |
| Carnarium. | Cassis? |
| Tegulitia. | Tretz ou Porrières. |
| Aquis Sextis. | Aix. |
| Massilia. | Marseille. |
| Solarianum.<br>Solarium. | Septeimes. |
| Calcaria. | Calas. |
| Vicensimum. | Marlès. |
| Colonia Maritima. | Les Martigues. |
| Fossis Marianis.<br>Fossis Marinis (V.). | Foz-les-Martigues. |
| Nemaus.<br>Nemausus (V.). | Nîmes. |
| Megalona. | Maguelone. |
| Agat. | Agde. |

1. Fortasse Medulla vocatur a regione medulica quam alluit.
2. In Porcherone, l. V, c. 3.
3. Quod ad ea nomina pertinet, vide supra cap. VI.
4. In Septimaniæ descriptione : Mela, Conditia, Pataum, Solarium.

| | |
|---|---|
| Calum. | Carry. |
| Latara. | Lattes. |
| Sextantione. | Soustancion. |
| Aque Convenantia. | Bagnères? |
| Burret. | ? |
| Buget.<br>Abate [1]. | ? |
| Rusino. | Vide notulam [2]. |
| Beterris. | Beziers. |
| Narbone. | Narbonne. |
| Combusta [3]. | Rivesaltes. |
| Ruscinone. | Tour de Roussillon. |
| Aque Calide. | Le Boulou (Pyrénées-Orientales). |
| Pyreneum [4]. | Col de Pertuis, au pied de Bellegarde (Pyrénées-Orientales). |

*Cap.* XI. *Insulæ* [5]. — Sed est insula post Aquitaniam (L. Equitaniam) que dicitur :

Obceorum [6]. | Ouessant.

reliquimus nomina designandum (V. designanda).

| | |
|---|---|
| Ollarione [7]. | Oléron. |
| Ratis [8]. | L'île de Ré. |
| Cordano. | Cordouan, à l'embouchure de la Gironde. |
| Et Oia [9]. | L'île Dieu. |

1. Inter Septimaniæ civitates legitur Abate ; respice ad cap. VI.
2. Idem fortasse atque Ruscinone, quod paulo inferius memoratur.
3. Deest in enumeratione civitatum Septimaniæ. Eam invenimus in Itinerario Antonini inter *ad Vicensimum* et *Ruscione ;* Wessel, p. 397.
4. In Tabula : In summo Pyræneo.
5. In Porcherone, l. V, c. 33.
6. Dicitur in Itinerario maritimo Uxantis; in quibusdam medii ævi documentis Osa dicitur, et Ossa, ut fert Valesius, p. 626.
7. In Plinio, l. IV, § 33, Uliarus ; in Sid. Apoll., l. VIII, ep. 6, Olarionensis insula.
8. Ea prima est hujus insulæ mentio, quæ, in medii ævi monumentis, Radis, ut apud Valesium videbis, nuncupatur.
9. Oia et in Valesio, p. 390. Scribitur in codicibus, uno vocabulo, Cordanoetoia.

## *Cap. XII. Fragmenta e diversis Anonymi partibus collecta quæ ad Galliam pertinent.*

L. I, c. 3. Undecima ut hora diei Vasconum est patria que antiquitus Aquitania dicebatur.

Duodecima ut hora diei Britonum est patria, cujus post terga, infra Oceanum, ubi longius est duorum dierum cum suis noctibus prospere [1] navigantibus iter, magna insula Britania rejacet.

L. I, c. 11. Prima ut hora noctis Germanorum est patria que modo a Francis dominatur.

L. I, c. 17. Volumus quatuor principalia cólfora maris designare... quartus colfus Gallicus qui incohatur a civitate Regio et remigatur juxta litus maris spatiosissime nobilisque Italie circuens a Marsilia Septimanie per totam Hispaniam usque ad fretum quod supra diximus Septem-Gaditanum.

L. IV, c. 46. Ad partem denique occidentalem, habet ipsa Europa finem Oceanum Gallie Belgice quam modo Francorum possidet generatio. Item oceani Britannici Spano-Guasconici verum et Spanici, usque suprascriptam fretum quod diximus Septe-Gaditane.

L. V, c. 28... Ad partem autem occidentalem habens totus mundus finem Oceanum qui tangit Galliam Belgicam (V. Bellicam) Germaniam quam modo, ut diximus, Francorum possidet generatio. Item Britannia vel patria que dicitur Nustricus [2]. Sed nos [3] de insula Britannia

1. L pro specie.
2. In V. Nistricus. Cur Nustricus ab Anonymo Britannia appelletur, vide inferius, p. 58.
3. Legendum est *non* ut supra, c. VII.

que de infra Oceano existit dicimus : sed hec Britannia intra Europam esse dignoscitur. Postmodum tangit ipse Oceanus Guasconiam qui Aquitania dicitur et nunc Spano-Guasconia[1] (V. Spano-Gasconia).

1. *Hæc notula ad paginas* 42 *et* 48 *referenda est.* Massiliam inter et urbem cui nomen inditum Fossis Marianis (Foz), Peutingeriana tabula et Itineraria stationem quamdam indicant, nomine Calcariam, quatuordecim millibus a Massilia distantem, a Fossis quatuor et tringinta; cujus situm agnoscere d'Anville (*Notice*, p. 190) et Walckenaër (*Géogr. desG aules*, t. III) frustra tentarunt. Anonymus autem, in eodem intervallo, pro una statione, quatuor indicat, quarum nomina sunt : Solarium, Calcaria, Ad Vicesimum, Colonia Maritima; unde fit ut viam pluribus stationibus distinctam, gradatim, ut ita dicam, sequentes, rem totam percommode explicare, et Itinerariorum lacunam explere posse videamur.

Vir nempe antiquitatis et geographiæ studiosus, nomine Toulouzan, in opusculo jampridem edito (*Restitution des voies romaines des Bouches-du-Rhône, dans le t. II de la statistique de ce département, par M. de Villeneuve; 5 vol. in-4° avec atlas*, 1829), affirmavit exploranti sibi solum, satis perspicue apparuisse plura viæ romanæ fragmenta, quæ, a Massilia versus septentrionem tenderent, usque ad vicum quemdam, septem millibus ab urbe distantem, cui nomen remansit originis haud dubie latinæ *Septeimes*. Hinc per vetustum iter deducimur ad vicum *Calas*, septem millibus a priore distantem, atque adeo ab urbe Massilia quatuordecim; quem ipse Toulouzan optime conjecit pro Calcaria posse agnosci. Jam vero mediæ illi stationi *Septeimes*, nomen olim fuisse *Solarium* apparet. Post Calcariam nostram, via romana versus occidentem inflectebatur, et stagnum Mastramelam (*l'étang de Berre*) circumibat. In ea porro ipsa via, viginti millium spatium a vico *Calas*, mensuranti, occurit vicus quidam, nomine *Marlès*, prope septentrionalem stagni angulum, quod nomen constat esse corruptum a *statione Marii;* hunc igitur locum facile intelligo eumdem esse atque Ad Vicesimum. De Colonia nulla dubitatio restat : notissimus est locus, a Melà et Ptolemæo indicatus, hodie *les Martigues;* unde ad Fossas Marianas iter breve est.

Totum igitur iter tenemus, adjuvante Anonymo; atque eo magis ea re delectamur, quod exemplo est quomodo prodesse possit Ravennas noster, ad explicanda quædam Peutingerianæ tabulæ aut Itinerariorum obscuriora.

## III

### QUI FUERINT, AUT CUJUS ÆTATIS, AUCTORES QUORUM AUXILIO USUS EST ANONYMUS IN GALLIA DESCRIBENDA.

Quanquam, in prima hujusce commentarioli parte, satis aperte videmur declarasse quosnam fuisse auctores arbitraremur e quibus Anonymus noster eruditionis suæ opes decerpsisset, tamen haud supervacaneum erit, de eorum scriptorum ætate ac conditione, quidquid vel dubiis conjecturis, assequi potuimus, copiosius aliquanto proferre. Castorii quidem nomine geographicam aliquam mappam designari facile fatebitur quicumque Galliæ descriptionem respexerit attentius, et animadverterit locorum enumerationem, in Burgundia præsertim ac Septimania, cum tabula nostra Peutingeriana tam mire consentire. Non omnia tamen ex illo Castorio provenire diximus, atque argumenta ex ipso nostri auctoris opere deduci posse speramus. Anaridum enim et Eldebaldum minime equidem possum mere fictis auctoribus adnumerare, quos adeo dissimiles Castorio videam. Nempe illi multo confusiores obscurioresque sunt; itinera truncant, loca miscent, nomina magis corrumpunt. Anaridus flumina potius quam itinera tabulæ inscripta, in civitatibus enumerandis, sequitur : vide enim ut Rhenum, Mosam, Mosellam, Ligerimque vicissim describat. Eldebaldus contra neque itinera neque

flumina sequitur, sed præcipuarum civitatum nomina, sine ullo ordine, quasi fortuito lecta, producit. Adde quod loca quædam, corrupto nomine, bis referuntur; exempli gratia : Confluentes mox Combulantia vocatur, Bizantia (Besançon) paulo post Buzuntium. Hanc autem civitatem cum Mandroda Lingonibusque, Alamannis Anaridus adscribit, quam Castorius contra Burgundiæ civitatibus adnumerat; quod, ut opinor, non evenisset, ni Castorius Anaridusque diversi auctores fuissent.

Tres igitur arbitror diversos Galliæ in Anonymo descriptæ extitisse auctores, quorum ætas discerni aliquatenus posse videtur, quum, inter cunctas ab Anonymo descriptas regiones, Galliæ soli cognomina quædam politica præ se ferre contingat, unde quando Castorius, Anaridus Eldebaldusque, scripserint, suspicari fortasse liceat.

Ipse nos Anonymus docet Francos, tempore quo documenta quibus usus est conscripta fuerunt, Rheno nonnisi a Maguntia esse potitos, suam sedem in Gallia olim Belgica positam habuisse, dominationemque suam ad superiorem mediamque Ligerim, jam protulisse.

Temporis autem spatium unum equidem novi, quo in tali statu res suas Franci habuerint, videlicet postquam Chlodoveus Syagrii victor, Chlotildis conjux, necdum Alamannorum profligator, e Sequana ad Ligerim tum viribus propriis, tum episcoporum favore et adjumento, inter annos 493 et 496, imperium proferre incipiebat.

Ad hanc eamdem ætatem convenientissime refertur Alamanniæ seu Sueviæ descriptio ex eodem Anarido hausta. Alamanni enim dicuntur suos fines usque ad Italiam extendisse et tres Galliæ urbes, præter superiorem a Maguntia Rhenum, sub sua potestate vindicasse, Lin-

gones scilicet, Vesontionemque et Mandrodam ; quæ res, quanquam ab historiarum scriptoribus non commemorata, verisimillima tamen videbitur recogitanti Gallias Tolbiacensis prælii præmium fuisse, nec multum abfuisse quin Alamanni victoria potirentur. Castorius contra Vesontionem Mandrodamque Burgundiæ vindicat, quia scilicet aliquot annos post Anaridum scribebat, ut mihi videtur, postquam, Alamannis profligatis, civitates, in breve tempus suæ ditioni ereptas, Burgundiones recuperavérant.

Quomodo fiat ut, inter civitates Alamannis addictas, una quædam occurrat quæ Theodorici nomine sit decorata, Thedoricopolis, in promptu videtur explicare.

Inter Theodorici magni epistolas a Cassiodoro servatas, una quædam exstat notatu dignissima, quæ singularem huic ipsi quæstioni lucem affundat : « ... Gloriosa quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur quod gentem Francorum, prisca ætate residem, feliciter in nova prælia concitatis : et Alamannicos populos, causis fortioribus inclinatos, victrici dextra subdidistis. Sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus, motus vestros in fessas reliquias temperate : quia jure gratiæ merentur evadere quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi qui nostris finibus cælantur exterriti. Memorabilis triumphus est Alamannum acerrimum sic expavisse, ut tibi eum cogas de munere vitæ supplicare. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim servitio subjugatam. Nam si cum reliquis confligatis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella provenerunt quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assidue, qui novit omnia

temperare : dum jucunda prosperitas illis potius blanditur, qui austeritate nimia non rigescunt. Cede itaque suaviter genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consuevit exemplo. Sic enim fit ut et meis petitionibus satisfecisse videamini, nec satis solliciti ex illa parte quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes gratia, honore et affectione qua dignum est, illum et illum legatos nostros ad excellentiam vestram consueta caritate direximus.....[1] » Operæ pretium est ex hoc monumento rem adhuc ignoratam cognoscere, Alamannos scilicet tutela Theodorici magni fuisse protectos; imo vero dum victoriam gratulatur Francorum duci, dum hortatur ut parce ac clementer prosperis rebus utatur, nonnihil invidiæ deprehendere videor in gratulatoriis verbis. Nimirum libenter crediderim egregium illum Italiæ regnatorem, consilio non minus quam armis pollentem, turbulentam Francorum ambitionem reformidasse, atque adeo munimentum utile sibi adversus periculosam vicinitatem, interpositis Alamannis, paravisse. Facile autem intelligitur huic conjecturæ quam apte conveniat urbs illa Theodorici nomine decorata. Jam enim liquet amicitiam eos cum Gothorum rege junxisse, florentibus rebus, mox, clade accepta, ejusdem intercessione fuisse servatos. Cæterum Agathias apertissime ait Alamannos Theodorici vectigales fuisse : « Τούτους (τοὺς Ἀλαμανοὺς) Θευδέριχος ὁ τῶν Γότθων βασιλεὺς, ἡνίκα καὶ τῆς ξυμπάσης Ἰταλίας ἐκράτει, ἐς φόρου ἀπαγωγὴν παραστησάμενος, κατήκοον εἶχε τὸ φῦλον[2]. Unde facilius etiam intelligitur iisdem eum post Tolbiacensem cladem auxilio adfuisse.

1. Theodoricus ad Chlodoveum, in Cassiodori senatoris litter. L. III, ep. 41.
2. Lib. I, c. 6, p. 17.

Ex his igitur plura colligi posse arbitror: primum quidem, Anaridi cujusdam scripta in manu Anonymi nostri fuisse, unde illam Alamannici imperii descriptionem hauserit, aliis quibusdam operis partibus non modo parum congruentem, sed etiam plane contradicentem; tum Anaridum illum, ante Tolbiacensem pugnam, scripsisse, ut qui Alamannorum fines viderit latissime patentes; tum denique haud multo ante scripsisse, quandoquidem urbem illam Theodorici nomine insignitam memorat, quod haud dubie demonstrat amicitiam regis illius ab Alamannis, hisce temporibus, fuisse ambitam.

E Thuringiæ etiam descriptione, quanquam perpauca supersunt, nova huic opinioni confirmandæ suppetunt argumenta. Quum enim desideretur urbium enumeratio, fines certe regionis ita descriptos habemus, ut plane manifestum sit rem eo tempore fuisse scriptam quo florens adhuc et integra illa natio polleret. Legimus enim in Anonymo Thuringiæ fines ab inferiore Rheno ad Danubium extendi, quod nullo modo scribi potuit postquam, gravissima illa clade apud Onestrudt flumen accepta, et Hermanfredo rege interfecto, Thuringiorum potentia concederat, anno scilicet circiter 538.

Hactenus igitur omnia in unum conspirare videntur ut Anaridum illum, e quo descriptiones illas Noster desumpsit, sub quinti sæculi finem vixisse pro certo habeamus. Nunc vero quiddam objicitur quod grave equidem esse fateor, et in quo hæreamus necesse est, nisi concedatur aliqua conjecturarum licentia. Nempe in Aquitaniæ descriptione quam ex eodem illo Anarido defluxisse Noster affirmat, totam illam regionem videmus Wasconiæ nomine designari; quod nomen nemo nescit in usum venisse multo

post ætatem illam cui addicendum Anaridum censuimus. Nam nulla usquam antiquior mentio Wasconiæ reperitur quam quæ a Gregorio turonensi facta est circa annum 581: « Bladastes dux in Wasconiam abiit atque maximam partem exercitus sui amisit[1]. » Quod si igitur scripsit Anaridus Wasconiæ aut Guasconiæ, ut scribere solet, nomen, jam nullo modo concedi potest, ut æqualem Theodorici Chlodovæique fuisse credamus; protinus spes abjicienda erit, collatis ex illo fragmentis, instaurari posse Franciæ Alamanniæque descriptionem, quales sub quinti sæculi finem exstiterunt. Sed illud quoque animadvertendum est, nullam omnino ætatem esse ad quam melius referri possit ille Anaridus : nullis enim temporibus Aquitaniam totam, eam scilicet quæ ad Ligerim protendebatur, Wasconiæ nomine nuncupaverunt; sed priorem tantummodo Julii Cæsaris Aquitaniam, ut Gregorius turonensis et post hunc cæteri significant, quæ ad occidentem vergens, Oceano Pyrenæis montibus et Garumna continebatur.

Manifestum est igitur claudicare in hac parte Nostrum et inepte prorsus illud nomen usurpavisse, ita ut colligi debeat aut nullum unquam illum Anaridum fuisse, quod difficile equidem crediderim, quum tam valida diversæ auxilientur opinioni argumenta, aut ipsum Anaridum alio quolibet nomine, in ea regione designanda, usum esse, et id nomen ab auctore nostro fuisse corruptum; quod sic equidem intelligo : pars illa Galliæ quam nomine Wasconiæ Noster describit, fere eadem est quam obtinuerunt Gothi priusquam, a Chlodoveo debellati et apud Vogladum oppressi, concederent : eam porro regionem a Gotho Ana-

1. Greg. Tur. H. F., l. VI, c. 12

rido fuisse descriptam suspicor sub Wisigothiæ forsan aut aliquo ejusmodi nomine, quasi dicatur : *Wisigothia quæ olim Aquitania fuit;* trecentis vero post annis, quum obsolevisset jamdudum illud Gothiæ nomen, a cosmographo nostro alterum nomen in prioris locum fuisse subditum, et illud quidem inepte, ut solebat : quid mirum si Wasconiæ nomen adhibuit, illis temporibus maxime celebratum propter longa illa Hunaldi Waiferique adversus Francorum duces certamina?

Item Spano-Guasconiam, quam sibi cognitam ex Eldebaldo Gotho Noster profitetur, Spano-Gothiam fuisse verius appellatam intelligo. Ea enim et Novempopulaniam complectitur et Wasconiam octavæ et nonæ ætatis. Quum hac præcipue parte dominarentur Wisigothi, quæ quasi quoddam esset Galliæ Gothicæ et Hispani imperii vinculum, satis verisimile videtur nomen Spano-Gothiæ huic parti fuisse inditum, tempore quo reliquæ usque ad Ligerim provinciæ Gothiæ nomine designabantur.

Quod si cui nimis audax conjectura videtur, nec credere placet nomina sic a Nostro esse mutata corruptaque, respondeam non deesse aliunde loca quibus ejusdem delicti manifestus plane Anonymus appareat. Nempe in periplo, dum totius orbis delineat terminos, utitur his ipsis verbis : « ad partem occidentalem habens totus mundus finem Oceanum qui tangit Galliam Belgicam Germaniam... item Britannia vel patria quæ dicitur Nustricus. »

Ecquando igitur habes Britanniam quæ Neustriæ nomine designari possit? Non Merovæorum certe temporibus, quum maxima pars Armoricæ propriæ ditionis esset, a reliquis Galliæ partibus prorsus aliena. Legitimum tantummodo hoc nomen habuit quo tempore, sub Carolo

Magno et Ludovico pio, post cladem a Murmane acceptam[1], Francorum imperio Britannia tota in breve tempus annexa fuit. An vero Noster occidentalem Galliæ partem communi illo Neustriæ nomine complectatur, nihil refert; utique perspicuum est ab ipso Anonymo allatum esse hoc nomen, non ex iis auctoribus dereptum unde opus collegit; namque Neustriæ nomen nusquam uni Britanniæ fuit attributum, nisi a noni decimique sæculi scriptoribus. Nec video cur non idem accidisse in Wasconia credamus.

Quæ igitur ex Anarido et Eldebaldo provenire Noster affirmat, ea ad quinti sæculi finem pertinere arbitror; quæ autem Castorii nomine nituntur, iisdem propemodum temporibus convenire facilius demonstrabitur. Hoc nempe auctore quum Burgundia describatur, hanc alteram, ut ipse ait, Galliam videmus ab Augustoduno et Cabillono usque ad Genevam, Ebrodunum et Avenionem patere, iis videlicet finibus circumscriptam, quos nullo alio tempore habuit, postquam a Chlodovei filiis, initio sæculi sexti, attenuata et oppressa Burgundionum potentia est. Neque tamen integram illam habemus Burgundiam quæ, extremis sæculi quinti annis, usque ad mare pertinebat, Arelatem, Aquas Sextias, Massiliam cæterasque maritimas urbes amplexa.

Has urbes Castorius Septimaniæ attribuit, quanquam compertum est Septimaniæ nomen iis regionibus fuisse proprie inditum quæ inter Pyrenæos montes, Cebennam et Rhodanum patebant; in quo deerravisse auctorem plerique crediderunt, temere ut videtur. Scimus enim Eurichum, Wisigothorum regem maximum, Septimania jam

1. Vide Ernoldi Nigelli carmina apud D. Bouq., t. VI; in carmine, lib. III.

antea, sive Narbonensi secunda et magna Galliæ parte potitum, arripuisse præterea illam ultra Rhodanum provinciam, et maritimas urbes Massiliam Arelatemque ditioni suæ, anno 480, addidisse : inde, post ejus obitum, vix quatuor annis elapsis, a Burgundionibus eam Galliæ partem fuisse occupatam, ut fert Gregorius Turonensis [1]; mox vero Theodoricum, celeberrimum Gothorum regem, omni ope atque opera contendisse ut a Burgundionibus præreptam reciperet Provinciam, ideoque fœdus iniisse cum Chlodoveo cui non peculiaria deerant adversus Burgundiones crimina, et totam denique illam Burgundiæ partem in ditionem Gothorum recidisse. Rem ita narrat Procopius de Bello Gothico [2] «... Francos inter et Gotthos coitur societas in Burgundionum perniciem, pactoque convenit ut gentem debellent et ditionis illius terras obtineant : qui vicerint a sociis non adjuti, ubi, mulctæ nomine, certam auri summam ab illis acceperint, participes faciant eos bello captæ regionis. Igitur ex constituto Germani [3] cum magno exercitu Burgundiones petunt, dum Theodoricus qui se, in speciem, ad expeditionem paraverat, copiarum profectionem differt, consulto procrastinans, exitumque expectans. Vix tandem emisso exercitu, ducibus mandat uti lentius iter habeant, ac si Francos victos audierint, ne porro iter pergant : sin forte victoriam cessisse illis acceperint deinceps properent. Hæc Theodorici mandata, accurantibus ducibus, Germani soli cum Burgundionibus manus conferunt... Accepto victoriæ nuntio, affuere confestim Gotthi, increpitique a sociis,

1. Tunc (anno 580) Gundobadus et Godegiselus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Massiliensi provincia retinebant, H. E., l. II, c. 32.

2. L. I, c. 12.

3. Γερμανοί, eo Germanorum nomine Francos Procopius designare solet.

viæ difficultatem causati sunt; et, mulcta repræsentata, regionem uti convenerat cum victoribus diviserunt. Atque ita magis eluxit prudentia Theodorici .qui, subditorum amisso nemine, dimidiam terræ hostilis partem auro modico sibi paravit. »

Cæterum omnino compertum habemus anno P. C. quingentesimo septimo, id est, post Vogladensem pugnam, Arelatem cæterasque veteris Provinciæ urbes Gothorum in manibus fuisse, quandoquidem Francos videmus ab Iba, Ostrogothorum duce, ab hac provincia repelli. Quod si igitur hanc Galliæ partem non Burgundiæ vindicat Castorius, apparet eum scripsisse post illud Francorum adversus Burgundiones bellum, quod hos Provinciæ possessione privavit; quod cæteras Burgundiæ partes tam lato terminorum ambitu circumscribit, idem arguitur ante Burgundici imperii excidium vixisse; ita ut, intra paucissimum annorum spatium, omnis de illius auctoris ætate dubitatio circumcludatur.

Quod autem Septimaniæ nomine Provinciam designat, nihil mirum si modo spectes veram illam ultra Rhodanum Septimaniam persæpe, illis temporibus, Gothiam fuisse dictam, ut quæ a Gothis occuparetur; Castorius videtur alteram Rhodani ripam, iisdem dominis obedientem, eodem nomine designavisse, atque ita Septimaniæ nomen utrique parti dedisse.

Ex his omnibus satis convenienter, ut videtur, colligi potest eos auctores unde documenta Noster in hac operis parte hauserat, sub quinti sæculi finem atque initium sexti vixisse; ita ut illa Galliæ descriptio totius regionis statum fideliter exprimere videatur, quemadmodum sese res habuerunt circa medium Chlodovei regnum.

Quænam autem illorum scriptorum conditio fuerit, quatenus fide digni fuerint, quam causam aut occasionem conscribendi operis habuerint, hæc plane in obscuro sunt.

Anonymus quidem Anaridum et Eldebaldum *philosophos* appellat, quo nomine nullum non doctrinæ genus continetur, pro solita illius linguæ barbarie; sed philosophorum, ut ait, illorum mentionem ullam in alio quolibet monumento frustra requiras. Minime tamen incredibile videtur studium aliquod geographicæ scientiæ apud Gothos floruisse. Namque illa gens, etiam Eurici temporibus, posteriore quinti sæculi parte, frequentissimo Romanorum commercio utebatur. Eadem, paulo post, annalium scriptorem tulit, quo non utiliorem alterum habemus ad illorum temporum historiam explanandam, Jornandem scilicet, qui amissam nunc Cassiodori historiam in breve contraxit. Atque hic quidem in suo libro de Getarum sive Gothorum origine [1] testatur populares suos doctrinæ studiosos fuisse : « Omnibus barbaris Gothi sapientiores semper exstiterunt, Græcisque pene consimiles, ut refert Dio, qui historias eorum annalesque græco stylo composuit. »

Imo vero geographica scripta fuisse apud Gothos edita manifestius declarat chronicæ cujusdam gothicæ fragmentum [2] ubi de geometria gothica quadam hisce verbis agitur : «... Mundum Cæsar mensuravit a Roma usque in orientem et occidentem et austrum et septentrionem. Nichodoxus præpositus præfuit illis qui mensuraverunt terram a Roma in orientem; Ridimus occidentalibus præfuit; præpositus in mensuratione austri Pelagius;

1. Lib. V.
2. In opusculo Karoli Pertzii *de Cosmographia Ethici*, lib. tres, Berolini, 1853.

præpositus in mensuratione septentrionalis plagæ *Todora* de qua satis mensuratione dictum est in Geometria. »

Non ita tamen intelligendum censeo Anaridum et Eldebaldum, aut Romanum etiam illum Castorium, geographicæ scientiæ peritissimos fuisse viros ac plane scriptorum nomine dignos. Sed si licet in tam incertis rebus verisimile pro vero accipere, satis probabiles ausim causas proferre cur illa potissimum ætas geographicis scriptoribus abundaverit.

Notum ad quod potentiæ cacumen sub Theodorico magno res Gothicæ evectæ fuerint ; et Jordanes testatur nullam fuisse in Occidente nationem cui non imperare voluerit : « nec fuit in parte occidua gens quæ Theodorico, dum viveret, aut amicitia aut subjectione non deserviret [1]. » Item in Procopio [2] legimus : « post Odoacri necem Thoringi et Wisigothi jam auctam Germanorum potentiam veriti, Gothorum ac Theodorici societatem magno studio ambierunt. Volens quoque Theodoricus eos habere socios cum ipsis devincire se affinitate non renuit. Itaque tunc regi Wisigothorum Alarico juniori Teudichusam virginem filiam suam, et Hermenefrido, Thoringorum regi, Amelobergam Amalafridæ sororis suæ filiam collocavit. » Ipsius denique Theodorici epistolæ a Cassiodoro servatæ non potentiam solum regis declarant, sed boni rectique studiosum fuisse ostendunt, atque amantissimum doctrinæ. Quid mirum ejusmodi regem, vel ipsius scientiæ amore, vel quo facilius ambitiosa exsequeretur consilia, quibusdam eruditis viris eam mandavisse curam, ut vicinarum gentium statum ac fines, collectis undique docu-

1. Jorn., c. 58.
2. *De Bell. Gothic.*, I, 12.

mentis, describerent, illorum autem opera, Ravennæ asservata, nostro Anonymo, multos post annos, usui fuisse? Proinde Castorium crediderim præcipuum operis auctorem et veteris alicujus tabulæ pictæ emendatorem fuisse; quem, si placet, referemus cum C. Bock ad notarium sive cartularium quemdam cujus crebra mentio reperitur in epistolis Gregorii Magni papæ, qui sub sexti sæculi finem pontificali solio insedit. Quod si huic opinioni assenserimus, jam necesse erit admitti Castorium illum, in Burgundiæ et Septimaniæ descriptione, documentis antiquioribus usum esse, quandoquidem, Gregorii papæ temporibus, neque Burgundiæ regnum supererat, et Provinciam jampridem occupaverant Franci, ut liquet e Procopio[1].

Rem igitur totam censemus intelligi posse : documentis ab Anarido et aliis Gothis collectis, usum esse Castorium cosmographum in emendanda quadam geographica mappa, cujus ad fidem, tribus aut quatuor sæculis posterior, Anonymus noster opus suum conscripserit; qui non modo veros auctores Castorium, Anaridum, Eldebaldum memoraverit, verum etiam nomina consulum et illustrium virorum quorum, in tabula, mentio inerat suo operi ingesserit.

Posse ita rem intelligi fatemur, posse aliter : nam in incerto plane versamur. Quæ conditio Castorii, Anaridi et Eldebaldi fuerit, quibus causis ad suscipiendum opus inducti fuerint, incertum. Hic liberrimæ opinionum varietati locus est « quarum, ut ait Tullius, quæ vera sit Deus aliquis viderit[2] »; nec quidquam est impedimenti quominus

1. *De Bell. Goth*, l. III, c. 33.
2. Tusc. Quæst. I, 2.

eruditi viri perpetuo, his in quæstionibus, laborent, nisi forte ex aliquo novo documento lumen insperatum affulserit. Hoc tantum restat absque ulla dubitatione perspicuum : ex illo Anonymi opere unicum atque utilissimum suppetere auxilium ad veteris geographiæ notitiam; nomina illa locorum, quamvis mutila et misere corrupta, posse aliquatenus agnosci; denique, in arida illa nominum enumeratione, paulo uberiora quædam reperiri e quibus conjici possit ad quam ætatem nomina referenda sint.

Hæc igitur nos satisne convenienter effecerimus, rectamne nominum interpretationem aut probabile aliquid ad historicam enodationem attulerimus, illustrissimi viri decernent quorum judicio hoc qualecumque est opusculum submittimus. Eum certe laboris nostri fructum speramus, ut manifesto appareat nonnihil inesse, vel in barbaro Ravennate, pretii; ex indigesta materie quædam haud inutilia posse decerpi; nec indignum opus esse cui penitus enodando magis idoneus aliquis allaboret.

# INDEX CAPITUM


Prœmium..... 1

I. Codices mssi, editiones, opuscula..... 3

II. Cosmographiæ de Gallia caput, nominumque geographicorum quæ in eo citantur interpretatio..... 27

III. Qui fuerint, aut cujus ætatis, auctores quorum auxilio usus est Anonymus in Gallia describenda..... 52

IV. Tabula geographica.



PARISIIS. — CLAYE EXCUDEBAT, VIA DICTA SAINT-BENOIT, 7.

INCERTA LOCA SIGN
LOCA POSITIONIS PR
In Allamannia:
Rigium
Chorust
Frincina
Aon
Gariolon
Thedericopolis
Augusta Nova
Rixinis
THURINGIA
SUEVIA
ALLAMANIA
BRIT
appellatur
RAVENN
Col. Agrippina
Bonna
Rigomagus
Antemacha
Cardona
Bosalvia
Magunta
Ascapha
Nobia
Bigum
Germetia
Sphira
Porca
Ziaberne
Brara
Brececha
Solist
Bodongo
Cassangita
Arbore Felix
Bracantia
Portin
Bazela
Augusta
Mandroda
Bixantia
Lausonna
Bibecan